SACRAE ET PROFANAE ROMAE OBSEQUIA CLEMENTI 9. PONTIFICI...

Digitized by Google

37
44 B
30

SACRAE

ET

PROFANÆ ROMÆ OBSEQVIA

CLEMENTI IX.

PONTIFICI MAXIMO

REPRÆSENTATA

IN COLLEGIO ROMANO SOC. IESV.



EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI

IACOBO

CARDINALI ROSPIGLIOSIO.

COLL. ROM. FEL.

PLVTARCHVS hiſtoricus,& philoſophus non ignobilis, cum vitas Græcorum , Romanorumque Principum deſcripſiſſet, comparationem ſubdidit inter vtroſque perinde ſapientem, atque elegantem. Per illam enim, & Græcorum gloriæ, homo Græci generis conſulebat, immane quantum ſuos populares attollens, cum illos Latinis heroibus coæquaret; & Maieſtati blandiebatur Romanæ,quam rerum dominam ipſa Græcorum excolebat hiſtoria : & profutura poſteris ad imitandum congeminata virtutum exempla in ærarium famæ reponebat. Non abſimile nos conſilium, diuer-

ſa paulùm ratione ſecuti ſumus, in hoc Romani Collegij apparatu inſtruendo, Princeps Eminentiſſime. Cum enim CLEMENS IX. Pont. Max. patruus Tuus, in vertice rerum humanarum collocatus, nihil non præclariſſimum, illoque faſtigio dignum ſenſerit, dixerit, geſſerit, tamquam Eccleſiaſtici oraculum aſſiduè occinat auribus: In omnibus operibus tuis præcellens eſto: non cum vno, alteroue Romano Pontifice, aut Principe, ſed vnum omnibus, in omni virtutum genere conferendum exiſtimauimus. Qua ſanè forma laudandi, nulla innocentior, ſanctiorque, quia nulla eſt propior ſinceritati hiſtoricæ narrationis. Quapropter ipſius Pontificis vitam ad hoc vſque tempus in compendium collectam attexere conſilium fuit, vt appareret à religioſis hominibus ita Principis laudi ſeruitum, vt ſua integritas veritati conſtaret. Nam quæ blandiendi nota timeri queat, ſi commemoratis lectiſſimis quibuſque ſuperiorum Pontificum facinoribus, paria ſubijcia-

ciamus regnantis Pontificis exempla? Quæ vulgò incredibilia viderentur, niſi vidiſſemus. Hinc illi plauſus tam frequentes, tam clari, quibus Rectorem clementiſſimum Chriſtianæ Reipublicæ, quoties prodit in publicum, ouantes gaudio populi proſequuntur velut in triumpho, ſæculi decus, & ſuam felicitatem appellantes. Qui Vos etiam vt alteram publicæ felicitatis partem, pari acclamatione coniungunt, fauſta omnia comprecati ROSPIGLIOSIÆ virtuti, non fortunæ. Quoniam Pontifici Optimo propinqui, non minùs probitate, quàm ſanguine, amplitudinem dignitatis, occaſionem facitis benignitatis, non faſtus, quæſtus non diuitiarum, ſed gloriæ. Profectò tantum boni, quantum nos tenemus, vix capere videtur ſors conditionis humanæ, vt vno tempore, cum Pontifice cumulato tot laudibus, Germano Fraternæ Sanctitati ſimillimo, Nepote Cardinali iam viro, virtutis, & ſapientiæ maturo, alijſque Fratris Filijs Patris, ac Patrui ſtrenuis imitatoribus per-

perfruamur. Cum verò fatalis rerum viciſſitudo, fortunam perpetuò conſtantem ſperare non ſinat, quàm vereor, ne poſt annorum decurſus, in beatiſſimum hunc ſtatum ſuſpirans ætas ventura reſpiciat, & quemadmodum nos felicia Saturni tempora, vt commenta Poetarum decantamus; ita poſteris aurea CLEMENTIS ætas, ROSPIGLIOSIVM ſæculum, quaſi proxima fabulis celebrentur? Sed qualiſcumque ſit futura poſteritatis opinio, nos certè bona noſtra cognoſcimus in tantum, vt audeam interdum beatiores illos prædicare, quos beneficia veſtra circumfluunt, quàm vos ipſos, qui Pontificiæ liberalitatis fontes à vobis auerſos in omne genus hominum deriuatis. Verùm hæc ſententia inferior videbitur ROSPIGLIOSIA magnanimitate; qua veſtram felicitatem ducitis, quàmplurimos felices facere, cœteraque cœteris bona remittentes vnam vobis reſeruatis rectè factorum conſcientiam. Vale.

IVLIVS ROSPIGLIOSIVS Piſtorij ortus eſt, in Etruſca Vrbe originis peruetuſtæ, quæ, ſi tam veterum rerum ſcriptoribus habenda eſt fides, fundatore gloriatur Piſtio Saga Noemi pronepote, mille octingentis octoginta ſex annis antequam Dei filius in hominum ſe gentem, & nomen indueret. Bonitate ſoli cum ingenijs accolarum certante, ſæculis omnibus præclaram edidit ſobolem, inſignes Iuriſconſultos, poetas eximios, egregios bellatores, laureatos Præſules, vnum ad vltimum Pontificij fulgoris magnitudine vniuerſos inumbrantem CLEMENTEM IX., qui tergeminæ tiaræ decus in Piſtorium patriam primus inuexit. Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo, 4.Kal. Februarias in lucem prodijt, orbem Chriſtianum moderante Clemente VIII. Aldobrandino, cuius

ipſe nomen , & virtutem ſeptem , & ſexaginta poſt annos , erat renouaturus. Patrem Hieronymum , Catharinam Matrem ſortitus eſt, ambos ex Illuſtriſſima ROSPIGLIOSIA Familia , quæ ſplendore ſanguinis , & diuitiarum, non Piſtorij modò, ſed in tota Etruria nobilis habebatur. Poſt ætatem puerilem ſub domeſticis præceptoribus excultam, in hanc gentium Reginam Vrbem adoleſcentem præcellſæ indolis erudiendum parentes amandarunt, Romæ lacte pietatis, & doctrinarum eductus fuit, qui Romæ Pater, & Orbis Chriſtiani Præſes futurus formabatur. In Romano Seminario floridiſſimo Italicæ nobilitatis horto nomen fecit magnum pomis adhuc acerbis, quibus nomina tanto auguſtiora ætate matureſcente ſeruabat. Confectis quinquennio, humanioris literaturæ, ac facultatum grauiorum curriculis, philoſophicas theſes propugnauit ſub auſpicijs Alexandri Cardinalis Vrſini, Principis non minùs virtutis, & ſapientiæ, quàm generis, ac purpuræ luce illo æuo clariſſimi; tantaque ingenij, ac doctrinæ approbatione auditus eſt, vt vulgò affirmarent, & Iulium patrono tam grandi, & Alexandrum Cliente tam docto digniſſimos fuiſſe. Exinde Piſis in Principe Etruriæ Gimnaſio, cùm Iuriſprudentiæ dediſſet

ope-

operam, doctoratus inſignibus auctior Romam redijt, cum prima iuuenta, reliquum curſum ætatis Apoſtolicæ Sedis obſequio ſacraturus. Vrbano VIII. regnante vtriuſque Signaturæ Referendarius tyrocinium breue dignitatis poſuerat, cum honorarius Pontificis cubicularius, & ſacrorum rituum Congregationis à ſecretis electus eſt. Per quam occaſionem cum ſolertiam ſuam Pontifici ſapientiſſimo approbaſſet, inter aulæ interioris miniſtros referre Iulium placuit, ſcribendis latinè ad Principes epiſtolis deſtinatum. Quem pariter viſitationi Apoſtolicæ Præfectum, Iudicem cauſarum Collegij Canonicorum S. Petri, Auditorem Comitatus Auenionenſis, S. Officij conſultorem, Præſidem ſacræ Pœnitentiariæ ſigillis, & S. Mariæ Maioris Canonicum conſtituit. Vnde orta poſtmodum opportunitas de Liberiana Baſilica, & Canonicorum Collegio benemerendi. Nam, præter quam quod argenteas, & aureas thecas, aſſeruandis diuorum exuuijs, pia magnificentia de ſuo extruxit, ad vltimum Nuncius Hiſpaniarum, quatuor amplius aureorum millia, inter Canonicos annuatim diribenda impetrauit à religioſiſſima Philippi IV. Catholici Regis liberalitate. Atque huius beneficij memoriæ in æternitatem propagandæ, monumen-

tum IVLIO ROSPIGLIOSIO inſcriptum, cum effigie benefici oris, in ipſius templi ſacrario poſitum fuit. Dum in aula Vrbani Pontificis verſaretur, Barberinis Principibus in theatrorum magnificentia vetera Romanorum miracula renouantibus, Iulius quoque Graijs, & Latinis vatibus æmulum ſuauitate carminum, & acumine, at longè ſublimiorem ſanctitate argumenti, cothurnum Etruſcum induxit in ſcenam; tam latè reſonante per Italas, exteraſque gentes nominis fama, vt voluptati quidem Romani Populi, ſed Iulij potiſſimùm gloriæ, à Fratribus Barberinis, per ea ſumptuoſa ſpectacula, indultum crederes. Circa id tempus, cum domus Mauritij Cardinalis à Sabaudia floreret frequentia nobilium literatorum, Sfortiæ Pallauicini, Virgilij Maluetij, Auguſtini Maſcardi, aliorumque, Iulius quoque habitis in illa Academia doctiſſimis diſſertationibus, cenſeri meruit inter eminentiſſima ingenia ſæculi ſui. At poſteaquam Archiepiſcopum Tharſenſem renunciatum ad Regem Hiſpaniarum nuncium legauit Vrbanus, præclara deinceps facere magis, quàm ſcribere Iulio contigit. Tunc illa ſunt edita heroicarum virtutum exempla, quæ argumentum ſufficerent peramplum, vnde per Iulij gloriam ſcriptor

medio-

mediocris inclareſceret. Vt paucis multa complectar, in Archiepiſcopi Tharſenſis prudentia, magnanimitate, æquitate, munificentia, pecuniarum contemptu, admiſſionum facilitate, renouata ſuſpexit Hiſpania illa adorata Eccleſiæ antiquæ lumina; tantæque æſtimationi reſpondente reuerentia, & amore pari, veluti Heroa de Coelo delapſum, præter morem coluit, ſine modo dilexit. Ingentis huiuſce beneuolentiæ quamplures teſtificationes eluxerunt. Sed ea in primis, quòd Sereniſſimam Hiſpaniarum Infantem, quam hodie Leopoldo Cæſari nuptam Germania veneratur, ex fonte luſtrali excepit, ipſa iubente Catholici Regis Maieſtate, perque iſtud honoris exaggerati genus, cum ſummis terrarum verticibus quodammodo Iulium coæquante. Quamobrem, vt ipſe viciſſim exiſtimationi Regiæ, regali magnitudine animi reſponderet, feſtam eam lucem auream fecit, millibus aureorum compluribus effuſis in dona gemmis, argento, atque auro pretioſa. Huc reuocari poteſt & illud, quod cum præſidere ſoleret Franciſcani Ordinis comitijs, cum Pontificio Nuncio, vnus ex Regijs miniſtris, qui Regis vicem non ſecus, ac Nuncius Pontificis perſonam repræſentaret, neminem Rex in id munus deſtinauit, ſed totum electionis

arbi-

arbitrium penes Roſpiglioſium eſſe voluit, quem Pontificias partes ex officio, regias ex beneuolentia, fideliter curaturum conſideret. Interim ſucceſſor ab Vrbe in Hiſpanias aduenit, quem vt admitteret in aulam, ſuis hortatibus, ac precibus Regem induxit, diu, multumque reluctantem, ne Iulium ab ſe dimitteret incertus de incremento dignitatis. Quamobrem & honorificentiſſimum eius promeritis in Romanam, atque Hiſpanam Eccleſiam teſtimonium regalibus ad Pontificem literis dedit, & quod in manu ſua fuit, nobiliora Hiſpaniæ regnorum Sacerdotia, penſioneſque ditiſſimas obtulit. Quibus modeſtiſſimè recuſatis, poſt nouem annorum commorationem, ex Hiſpanijs abſceſſit, relicto illis gentibus infinito deſiderio, & amore nominis ſui; Romamque reuerſus eſt non ſolùm non aucto patrimonio, ſed etiã diminuto, gloriæ tamen opulentus, proſperæque apud Principes & populos famæ, quę opibus præſtabilior iudicio ſapientum ad ſupremos honores curſu certiſſimo ducit. Acquieſcendi à Reipublicæ curis venia conceſſa, domum prope Baſilicam Liberianam conduxit, vt procul ab aulæ tumultu, in concinendis diuinis laudibus, ætatem ſimilem coelitibus in terris ageret. Ne iuſto quidem opere, ne dum hoc tam con-

tracto,

tracto, exequi licet, qualia Romæ tunc fuerint de Archiepiſcopi Tharſenſis virtute iudicia, quæ admiratio eius vel magnitudinis animi, vel moderationis, quantæ hominum quærelæ, priuatam viri tanti fortunam, infortunium ſæculi exiſtimantium, fatentiumque, Roſpiglioſij Præſulis ocium inglorium, aliorum purpuris, & imperijs honoratius. Quamuis aulicorum pectora futuri cœca; & præpoſteras de fortuna querimonias euentus redarguerit. Siquidem ea mora, dilatioque Eminentiſſimæ dignitatis, maieſtate tergemini diadematis compenſata eſt. Tanti fuit modici temporis obſcuritas, quę inſtar nocturnæ caliginis, Vaticani migrauit in ſolem. Vix enim biennio poſt reditum ex Hiſpanijs tranſacto, cum Innocentius fato conceſſiſſet, Collegium Cardinalium, quaſi nihil antiquius Archiepiſcopi Tharſenſis honoribus haberet, quod vnicè in illorum erat poteſtate, ſpecioſum æquè, ac prægraue munus, regendæ tempore comitiorum Vrbis, alteri præter conſuetudinem ademptum, Iulio mandauit. Nec omiſit poſtea nouus Pontifex Alexander VII. perſequi præiudicium Collegarum, & ſuum. Nam primò Iulium ad participationem principalium curarum, & arcanorum omnium conſortium, in aulam Pontificiam euocauit, mox deco-

decorauit purpura, retentumque apud ſe, iiſdem, quibus inſtiterat ipſe veſtigijs, ad ſolium proximum diuinitati perduxit. Rarò alium ex purpuratis ad ſupremum honoris culmen tam communibus votis Roma deſtinauit; adeòque paulò ante comitia cum æger ex morbo Roſpiglioſius cogitationes hominum ſuſpendiſſet, ſtudia factionum incerta fluctuabant; quæ mox illo conualeſcente, rurſus coaluerunt. Hinc ſyderum, vatumque præſagia, quæ in alijs poſt fortunam inuenere fidem, de Iulio ante Pontificatum ſunt credita. Vt illud in ore hominum paſſim verſatum, Sidus olorum, quod pictura cubiculi in Vaticanis ædibus per ſortem oblati, confirmauit. In tecto ſiquidem fornicato cellæ ROSPIGLIOSII CARDINALIS imminente, figuratos vidimus alatos amores, cycnis candidiſſimis inſidentes. Quibus præſignificari aiebant Imperium Vaticanum Principi à Muſis non abhorrenti, qui cum excellentiſſimo Fratre, & Fratris filijs, futurus erat delicium, & amores populi Chriſtiani. Quemadmodum olim Flauius, ac Titus Veſpaſiani, deliciæ generis humani vocati ſunt: boni in obſequio, optimi in Principatu. Numquam fides tam certa eiuſmodi prædictionibus conſtitit. Quanta enim nomini, quod aſſumpſit, clementia,

tia,

tia, charitate, beneſicentia, acceſſu omnibus facili,& perhumano conſentit? Vnde illa vnius ex Purpuratis publico excepta plauſu vox eſt; ſuffectum putabamus in Petri ſolium ſucceſſorem egregium, hominem tamen, Angelum habemus. Qui nimirum, ſtatim ac ſacrum Orbis Chriſtiani regimen ſuſcepit, Pontificias curas, & ſpiritus, propinquorum labores, & ſanguinem Reipublicæ dedicauit. Venetos militibus, & pecunia firmatos animauit ad Cretæ defenſionem, quam vltra vigeſimum iam annum ſuſtentant, Turcarum cæſis exercitibus, claſſibus inflammatis, victoriæ, quàm cladi propiores; quod in tanta inæqualitate potentiæ, pro miraculo eſt. Ad maximos Reges literas pro pace exarauit tam efficaces, nullum apud eos Paterni Officij genus prætermittens, vt primo Pontificatus anno ſedauerit duo ingentia bella, quæ armorum æſtibus Europam abſorptura credebantur; cum paratum ſe teſtaretur, Pontificiam valetudinem, vitamque, componendo inter Chriſtianos Principes fœderi deuouere. Quemadmodum Fratris filium capacitate mentis, doctrina, virtute, Patruo Sapientiſſimo proximum, eiuſdem concordiæ ſtudio, longinquæ peregrinationis periculis obiecit. Inter quæ cum ægritudinem grauem, diuturnam-

que contraxerit, viſus eſt Pontifex publicæ ſaluti penè immolare victimam pretioſiſſimam. Explicatu difficile eſt, quàm altè demiſerit in ſacrarium Sacerdotalis pectoris, magnanimum Honorij III. propoſitum; nocendi nemini, commodandi vniuerſis, tam ſummis mortalium, vt Regibus, & Purpuratis, quàm medijs, infimiſque, inſtar ſolis non modò colles editos luce complentis, verùm etiam humilia vallium, benefica radiorum efficientia penetrantis. Quàm multa multorum poſtulata, quæ prædeceſſoris Pontificis inualetudo fruſtrauerat, in eius locum ſuffectus, nulla interpoſita mora perfecit? Quare illi cum & Clementem rerum potiri, & ſe votorum compotes factos, vno tempore audirent, rei nouitate, ac magnitudine gaudij obſtupefacti, vix habebant nuncio fidem, vti fit in felicitatibus inſperatis. Hoc enim verò habet proprium noſtri Pontificis beneficentia, vt imitatione diuinæ prodeat numeris omnibus abſoluta: & quaſi parum ſit ſubſequi rogantium vota, ſæpiùs exuperantia virtutis præuertat, & ſuperet. Quamobrem mirari iam deſinamus, quod Clemens tam arctè ſibi deuinxerit per amorem omne hominum genus, præſertim regales animos, qui fallacijs ac terroribus inſuperabiles humanitatis generoſæ artibus capiuntur.

Ex

Ex quo fit , vt concertatione officiorum inducta , Reges , Principes , Reſpublicæ , Populi obſecundare Pontificis voluntatibus geſtiant , dum inſignes Duces , copiæque de nobiliſſimis Europæ Regnis eius inuitatu tranſmittunt ad Creticum bellum. Quare illa inſula recenti claritudine ſuper fulgorem veterum fabularum emicuit ex Iouis incunabulis in Martis conuerſa campum , perpetuis Orientis , Occidentiſque certaininibus , & laureis religionis , mahometicam ſuperſtitionem ſub Clementis auſpicio debellantis . Quo loco prætereunda ſilentio non eſt Ludouici XIV. Regis Chriſtianiſſimi virtus , cum auitis Diui Ludouici , & Vgonis magni expeditionibus comparanda. Qui non contentus anno ſuperiore lectiſſimas militum manus obſeſſæ Cretæ ſubſidio miſiſſe, per quas immanis Turcarum ferocitas Gallica fortitudine repreſſa eſt , hoc ipſo anno , claſſem cum exercitu , varijq;generis bellicis apparatibus deſtinauit Regijs impenſis , & Pontificij Nepotis VINCENTII ROSPIGLIOSII ductu , non alios ad queſtus Gallorum ſanguine faciẽdos quàm pietatis , & gloriæ. His hominum auxilijs comparatis , dedit operam Pontifex per quotidianas religioſiſſimè obitas preces , perque ſupplicationes ſolemnes , queis ipſe pedes inter-

dum facem geſtans interfuit, vt ſuppetiæ de Coelo conſocientur, quibus amotis, nulla præſidia ſatis, & firmamenta mortales tegunt. Neque tamen Clementis virtus viuentibus tam munifica, eorum obliuiſcitur, qui vixerunt. Ecquod enim grati, ac memoris animi officium erga Alexandrum Pontificem prętermiſit? Dum pro eius anima in principibus Romæ Baſilicis, piacularia ſacra præter ſolitum offerri præcepit, dum eodem actu, quo Iacobum Fratris filium, & Leopoldum Magni Etruriæ Ducis Fratrem in Senatum Cardinalium cooptauit, Sigiſmundo pariter Chiſio, præclariſſimæ indolis adoleſcenti purpuram detulit. Dum prædeceſſoris gloriæ, tum edictis honorificentiſſimis fauet, tum Chiſijs inſignibus in fronte fabricarum erigi iuſſis, famæ quidem ſuæ ſecurus, aut negligens. Cum enim nemo pluris fecerit, faciatque heroica virtutum facinora monumentis digna ſempiternis, nemo famam, cum peritura iſta immortalitate marmorum, metallorum, ac laudum, minoris æſtimauit. Quamuis illud Principi noſtro, quod aliàs alijs ſummatibus viris contigit, vt alienæ cedendo laudi, auxerit ſuam, ſpretuque gloriæ gloriam cumularit. Neque verò, ſi nulla ſaxis, aut metallis commiſſa, cum Clementis effigie, Roſpiglioſia inſignia cer-

nuntur

nuntur, propterea ex omni Pontificum numero multos reperias bonæ exiſtimationis opibus, & publicæ beneuolentiæ theſauris, CLEMENTE IX. ditiores. Quin, ſi Tiberij nurus apud Cornelium, cum negaret Auguſti ſpiritum in muta ſimulacra eſſe transfuſum, eumdem in ſpirantibus nepotum imaginibus habitare dicebat: cur nobis affirmare non liceat? Clementis nomen non in ære, aut marmore exangui, ſed in ore hominum, atque in animis viuere, victurumque, veneratum Regibus, amatum populis, hoſtibus formidatum, nemini inuiſum; eiuſque virtutum famam, diſiunctiſſima regna peragrare, non alios fines, quàm terrarum ſortitam, neque breuiorem terminum æternitate. Quid amabilius illa prouidentia planè paterna, qua ſubiectos populos, aut imminutis bis vectigalibus releuat, aut reficit inducta annonæ laxitate? Quid profuſa in pauperes liberalitate diuinius? qua multiplicem egentium miſeriam ſuſtentat, tam vetuſtis congiarijs redditis, quàm nouis ampliter inſtitutis: Haud ignarus, per hæc Principes Deo fœnerari, nec vnquam æraria Pontificum certioribus incrementis diteſcere, quàm dum in pauperes exhauriuntur. Quin exemplum ſecutus Magni Gregorij, in duodenis pauperibus quotidie ad menſam exceptis,

Chri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſter ordo tempore, ac dignitate poſtremus, haud
quaquam vltimus ad fontes Roſpiglioſiæ libe-
ralitatis acceſſit; expertus parentes in beneficijs,
quos alumnos habuit in literis, & pietate. Ex-
tra Italiam verò, quæ ſupra memorauimus à
Patruo Nuncio in Hiſpanijs relicta virtutum
monumenta, IACOBVS Internuncius imi-
tatus in Belgio, Gallijſque, tam alta impreſſit
magnanimitatis, prudentiæ, liberalitatis veſti-
gia, vt videantur inter ſe partiti clariſſima Eu-
ropæ regna, non tam paſſibus, quam beneficijs,
hinc Patruus, inde Nepos, peragraſſe. Hinc in-
ſtaurata illis gentibus fides, Romanos Præſules
legitimos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, qui bea-
tius putent dare, quàm accipere, orbemque ter-
ræ peruagari gaudeant, ſpargendo dona, non
colligendo. Quod ſi præclarè actum videtur
cum nationibus, Regniſque, queis vno ex hu-
ius familiæ proceribus frui contigit (vti nuper
Creta cum ſubditis inſulis, alterius Nepotis, Pon-
tificiarum triremium Generalis Ducis, aduen-
tu & liberalitate recreata eſt) quantum erit Ro-
mæ gaudium vniuerſos amplectentis? Vbi tam
prolixam in omne genus hominum municen-
tiam repræſentant, vt proprium Roſpiglioſiæ
gentis bonum, præclaram hanc laudem effece-
rint. Tantam porro magnitudinem animi quan-

ta

ta humanitate temperant? Quàm frequentia exempla edunt ſummæ moderationis in sūma fortuna? Eo exquiſitiores honores meriti, quod ſolitos, & ex conſuetudine quodammodo debitos renuunt. Vt voto denique finiam; Deum Opt. Max. & quidquid Diuorum in Vrbis Romanæ templis, tumulis, ac triumphalibus Martyrum ſpeluncis veneramur, publica voce obteſtor, quęſoque, vt præſentem hunc ſtatum, CLEMENTE IX. Pontifice quàm diutiſſimè ſoſpite fortunent; deinde (quod optimus Chriſtiani populi Parens omni expetit voto) vt arma Europæ Regum, quæ ipſo deprecatore à mutuis cædibus auerſa iam ſunt, eodem hortante, in Hoſtes veræ Religionis vertantur cum excidio perfidiæ, triumphoque Pietatis.

AP-

APPARATVS DESCRIPTIO.

CLEMENS IX. Pont. Max. paucorum menſium ſpatio ea edidit virtutum exempla, quæ non modò expectationem, & vota ſęculi noſtri ſuperarunt, ſed ęquata priorum temporum gloria conſequentium ætatum linguas, & calamos fatigabunt. Quamobrem Romanum Collegium teſtificandi obſequij ſtudio erga alumnum quondam ſuum, nunc Parentem, Romanumque Pontificem, & Principem, lectiſſimorum Superioris æui Pontificum, & Principum imagines in hoc theatrum induxit, vt ijs collatum Clementem, vnum omnium ornamentis ornaret, quando vnus Clemens in ſe, ſuiſque, virtutum omnium honeſtamenta concluſit. Geminam itaque Romam ſacram, & profanam excitauit: tum illam veterem imperij ſedem, ac triumphorum, fundatam à Romulo, fraternoque reſperſam ſanguine, tum recentem alteram cruore Principum Apoſtolorum, ac trecentorum millium Martyrum in imperio non magis corporum, quàm animorum conſtabilitam, pro violentia, & cœ-

 dibus,

dibus, beneficijs, & charitate nitentem, latiuſque Petri regnantem clauibus, quàm prior Quirini faſcibus, in ſalutem, non ad exitium generis humani. Celebriores igitur diuerſiſſimi generis Romanos proceres, qui ſæculis retro actis in hac Vrbe dominatione, ac virtutibus inclaruerunt, in quaternas noſtri Gymnaſij ambulationes diſtribuimus; Profanos à Romulo Rege orſi, Sacros à Diuo Syluestro, quem Romanorum Pontificum primum in Imperatricem vrbem ius, & imperium nactum Scriptores affirmant. Singulorum porro vultuum lineamenta de veteribus numiſmatis, & imaginibus exprompta retulimus, alia effigie nobiliore morum in ſubiectis elogijs explicata; ita tamen, vt vniuerſi per ſuarum contentionem laudum plurimum admirationis in Clementem Pontificem, eiuſque ſplendidiſſimam gentem ſint collaturi. Verùm antequam delectam vtriuſque Romæ progeniem, binis vnamquamque porticibus diſpertitam exponere aggredior, Lectorem commonitum volo, rudem hanc narratiunculam, nimium quantum diſtare ab illius maieſtate ſpectaculi, quod oculis aulæ, populique Romani ſubiecit dies iv. Kalendas Maias in Romano Atheneo, quatuor coronato ambulacris, per totidem laxiſſimas porticus,

in

in proximam aulam excurrentibus. Quæ Gregoriani ædificij perampla moles, cum vel nuda ſatis ipſamet ſua pulchritudine natiua reſplendeat, arduum fuerit cogitatu, ne dum oratione deſcribere, quanta tunc venuſtate fulgeret per miniſteria nobiliſſimarum artium, Statuariæ, Picturæ, Hiſtoriæ, Poeſeos, atque Oratoriæ decorata. Quod ſi Æſchines Athenienſis cum orationem Demonſtenis pro Cteſiphonte Rhodijs recitaſſet, ijs admirantibus addidiſſe fertur apud Valerium: Quid ſi ipſam belluam audiſſetis? quaſi multum Demoſtenis à Demoſtene abeſſet, dum legebatur potiùs, quam audiebatur: terribile ſcilicet vultus pondus, vigor acerrimus oculorum, ſingulis verbis accomodatus ſonus vocis, efficaciſſimi corporis motus: haud abſimili ratione ego affirmare non dubitem, multo maximam partem nobiliſſimi apparatus deſideratum iri, dum in pagella legendus, non ſpectandus in theatro proponitur. Iam verò, vt ad inſtitutum redeam, die præfinita Eminentiſſimi Principes Iacobus Roſpiglioſius, & Decius Azzolinus Cardinales, tum Excellentiſſimus S. D. N. frater Camillus, & Excellentiſſimi eius Filij ad forum Collegij Romani deueniunt, vbi collatis frontibus geminæ ſumptuoſiſſimæ moles Gymnaſium Gre-

gorianum, & erectæ in domibus Aldobrandinis Pamphiliæ ædes in diſſimili forma parem oſtentant elegantiam, & maieſtatem. Illic impatiens triduanæ moræ, qua per Scholarum ſilentia conticuerant, ingens diſcipulorum & Quiritum turba præſtolabantur, cum repentè acceſſum ſplendidiſſimorum hoſpitum effuſo Nolæ ſonitu indicante, reductæ Collegij valuæ Romæ obſequia CLEMENTE IX. Pont. Max. explicata in Gregoriana Gymnade aperuere. Ad vtrumque portæ latus, duplicem intercapedinem, quam hærentes parietibus pilæ deſcribunt, expicti gemini orbes implebant, hinc Cœli, illinc terrarum, qui quadris decuſſati quaternis in Roſpiglioſiæ domus inſignia immigrauerant, ſignificantes Pontificiam CLEMENTE IX. amplitudinem non alijs finibus, quàm terrarum, & ſyderum contineri, cum hac Epigraphe.

IMPERIO, ET VIRTVTIBVS IMPLENT.

In medio autem fornice teſtudinato, è regione portæ, ac veſtibuli, ſurgebant geminæ ſtatuæ, tamquam ex ære Corinthio fuſæ, quæ Romam ſacram, ac profanam repræſentabant, piliſque porticuum, ac paraſtatis è Tiburtino lapi-

lapide adhærentes, magnificè ſellis regalibus inſidebant. Formoſam vtramque diceres, niſi ſanctimoniæ rigor alteri, alteri ferocitas præliaris matronalem, in venuſtiſſimis vultibus lenitatem exaſperaret. Sanctioris Romæ cæleſte caput honeſtabat Chriſtianum inſigne; pro vexillo crucem dextera, læua parmam geſtabat, in qua tergeminum diadema, vt in baſi mons inerat, & templum Vaticanum, Pontificum Romanorum Capitolium. Martiæ Romæ caput galea, thorax pectus abſconderat, haſtam dextera minaciter quatiente; in ſiniſtra clypeus, in eoque pro trophæis expreſſa, deuictarum gentium ſpolia, arma, manubiæ. E primo ſuſpenſa intercolumnio, grandibus exarata literis inſcriptio totius apparatus argumentum accedentibus exponebat.

Quiſquis ingrederis
Romanum hoc Lyceum,
Sacram, & profanam Romam,
Miraculorum miracula contemplare.
Altera nihil potentius olim Orbis timuit:
Nihil altera ſanctius nunc adorat.
Vtraque CLEMENTI IX. feliciſsimè regnanti
Romano Pontifici adlaborat:
Dum illuſtrandæ Roſpiglioſiæ gloriæ,

Sua

Sua certatim exhibet decora, Romanorum Principum,
Hinc Heroum, illinc Diuorum.
Quorum alij conſilio, & manu, humanis opibus,
Terras domuerunt:
Alij naturam ſupergreſſi, ad Cœlum vſq; protulerunt
Imperium.
Quæ tot inclytos in proceres diuiſa virtutum
Ornamenta laudantur:
In vno CLEMENTE, vnaque ROSPIGLIOSIA domo
Collecta recognoſces.

In parte tabulæ atrium, & impluuium ſpectante Pellicanus depictus viſebatur, roſtro pectus euiſcerans, ad ſobolem (quæ genus humanum ſignificabat,) ſui effuſione ſanguinis recreandam, cum Epigraphe Sanctiſſimi Pontificis charitatem adumbrante.

ALIIS, NON SIBI CLEMENS.

In hunc modum primo Collegij aditu occupato, geminæ Reginæ propriam vnaquæque ſobolem, in deſtinatam ſibi dimidiati theatri partem immiſerant. Altera Reges, Conſules, Dictatores, Cœſares, altera vno nomine, reliqua omnia nomina obruentes Romanos Pontifices Vicarios Diuinitatis. Pro numero

pila-

pilarum, imagines binæ ſupra ſexaginta in vniuerſum, æris Corinthij ramentis opulentæ radiabant. Magnum inſtar apparebat in vultibus, maieſtas grandis in frontibus, amabilis vigor oculorum, in ſupercilicijs auctoritas veneranda, qualis videlicet terrarum Dominos deceat, & arbitros Cæli. Qui porro ſub quaternis porticibus, inter duos imaginum populos, ſpatiabantur, eos ingenti admiratione perculſos, incredibilis quoque iucunditas afficiebat. Cum ſub vnum aſpectum offerri gauderent quibquid eximium in ſinum Ciuitatis Cæli donis, ac tributis terrarum inclytæ ſæcula viginti congeſſerant; cum Scipionibus, Pompeijs, Cæſaribuſque, & Cæteris Romanæ rei per orbem terræ propagatoribus, Pios, Leones, Clementes, alioſque Pontifices, qui Romana religione imbutum genus humanum regnis Cæleſtibus intulerunt. Ab his igitur vt ordiamur, in prima porticu, quæ læua eſt ingredientibus, Romæ ſacræ deſtinata Pontificum effigies hoc ordine diſpoſitæ cernebantur.

CA-

C A R I T A S

S. Sylueſter.

Romam reddidit Sacram
Publica Profeſſione Religionis.
CLEMENS NONE
Tu etiam Romam quodammodo ſacras
Publico caritatis exemplo.
Eſt Sacra Vrbs,
Cui DEVS imperat.
Vbi Caritas, ibi imperat DEVS.

D O C T R I N A

S. Damaſus.

Sceptrum coniunxit cum Lyra,
Vt placeret, ac terreret.
Placet Cœlo Lyra Cœli,
Terret Inferos Sceptrum Chriſti.
Ingenioſe CLEMENS
Vt eſſet Sanctitas ſuauior,
Mel Muſarum adieciſti.
Sic Muſæ euadunt Virtutes,
Theatrum vertitur in Cœlum.

ELO-

ELOQVENTIA

S. Leo Primus

Attilam Hunnorum Martem
Aurea oris catena
Vel fregit, vel domuit.
Tua verba CLEMENS
Sunt vincula plusquam aurea:
Tua mandata
Pluſquam ignea fulmina.
Martem Chriſtianis infenſum
Vel nemo domat, vel ſolus Clemens

CONSTANTIA

S. Siluerius

Maluit exulare, quam errare.
Ne placeret Hæreſi,
Diſplicuit Cæſari,
Conſtantia Pontificum
Eſt ſupra Principum potentiam.
Inuicte CLEMENS
Hanc meritò pro ſymbolo ſumis.
Conſtantia Siluerij
Eſt prærogatiua Clementis
Hoc eſt Potentia Pontificis.

AMOR PAVPERVM

S. *Gregorius Primus*

Dum pauperibus miniſtrat,
Angelum habet inter Pauperes.
Gloriatur Angelus ſorte Pauperis,
Dum Vicarius DEI eſt Pauperis miniſter.
CLEMENS Pie
In Gregorij dignitate imitaris virtutem Gregorij.
Manus eadem Pauperem ſuſtentat,
Et ſuſtinet Cœlum.

RELIGIO

S. *Leo Secundus*

Omnium virtutum Vir
Et ſacra fouit, & literas amauit,
Quaſi eiuſdem ſit Sedis
Imperare ſacris, conſulere literis.
CLEMENS NONE
Dum virtutes à Te coluntur
Literæ amantur, & ſacra.
Eccleſiæ Romanæ Diadema ſunt
Virtus, Sapientia, Religio.

STVDIVM PACIS

Sergius Quartus

Neceſſariam Italiæ quietem,
Turbine bellico iactatam,
Pacatis Principibus
Orbi reſtituit.
Tu quoque CLEMENS
Conciliandis Principibus ſtudes.
Periclitatur Orbis, dum armatur.
Anima Mundi Pax.

FORTITVDO

Gregorius V II. *&* *Alexander* III.

Duo
Eccleſiæ fuere fulmina.
Dum potentia plus iuſto audet,
Religio plus ſolito ardet.
Amantiſſime CLEMENS
Tu quoque es Eccleſiæ fulmen.
Ardor tuus Amor eſt.
Obtines amando, quod alij fulminando.

MISERICORDIA

Innocentius Tertius

Poſuit grande Monumentum
Pontificiæ Maieſtati,
Excitato Xenodochio
Sancti Spiritis nomine & Opere.
Ibi operatur Dei Spiritus,
Vbi adiuuatur Aegrorum Corpus.
Optime CLEMENS
Opus tuum eſt Aegros iuuare
Vultu voce manu.
Maieſtas Clementis ſeruit in Regia Dei;
Eſt Dei Regia Noſocomium.

PIETAS

Gregorius Nonus

Tuetur ſacras familias
Dominici, & Franciſci;
Ratus eſſe Ordines Religioſos
Prætoriam Eccleſiæ Cohortem.
Religioſiſſime CLEMENS
Hæc Cohors honori Tibi & Amori eſt.
Religioſa Militia
Tuetur Eccleſiam, & ornat.

CVLTVS MARIÆ

Innocentius Quartus

Solemnia Natæ Deiparæ
Iubet vbique coli.
Eccleſiæ vultus eò ſanctior eſt,
Quo maior eſt Deiparæ cultus:
Per Te CLEMENS
Eamdem ſine labe conceptam
Eccleſiæ Ditio colit
Ritu pluſquam ſolemni.
Honor MARIAE
Altera Eccleſiæ Ditio eſt.

MAGNANIMITAS

Clemens Quartus

Sibi coniunctos
Omnes cenſuit,
Quos coniungebat
Chriſti ſanguis,
Vt eſſet omnium ſors
Publica Virtus.
Magnanime CLEMENS
Hoc exemplo te Orbi approbas.
Sua non curare Magnanimi eſt

PRV-

Digitized by Google

PRVDENTIA

Gregorius Decimus

Apoſtolicæ Prudentiæ
Primam laudem duxit
Aurum ſpernere.
Pretioſum eſt Cælum, ſi aurum eſt vile.
Prudentiſſime CLEMENS
Te Rerum Præſide
Aurum ſeruit, non imperat.

PROVIDENTIA

Nicolaus Tertius

Honores tribuit Viris probis
Vel tanquàm munera exercendæ,
Vel tanquam præmia exercitæ Virtutis.
Honor gignit Virtutem,
Si gignitur à Virtute.
Prouide CLEMENS
Tuæ mentis iudicio
Honor, & Virtus non differunt
Aut ſorte, aut gradu:
Vbi Virtus, ibi Honor.

BENEFICENTIA

Honorius Quartus

Pontificiæ Dominationis
Proprium arcanum eſſe duxit
Omnibus prodeſſe, obeſſe nemini.
Hoc eſt gerere vices Dei.
Benefice CLEMENS
Imperia tua Beneficia.

HABITATIO PROPE VIRGINEM

Nicolaus Quartus

Exquilinum Mariæ Templum
Habitatione coluit,
Veneratione excoluit,
Gnarus tunc placari Dei filium
Dum placemus Matri Dei.
Gratiſſime Cælo CLEMENS
Quod coluiſti Maiorem MARIAE Aedem
Maximam Chriſti Sedem tenes.

BENIGNITAS

Bonifacius Octauus

Iubileum inſtituit
Hoc eſt Annum Remiſſionis
Benigniſſime CLEMENS
Tu grauiſſima onera remittis;
Reos confitentes abſoluis;
Populos, & Vrbes ſubleuas;
Semper vel donas vel condonas;
Quidni Pontificatus Tuus vocetur
Annus Remiſſionis?

CVRA SEDIS APOSTOLICÆ

Gregorius Vndecimus

Romam Romæ
Vrbi Orbem reddidit
Pontificia reddita Sede,
Quam Auenio tenuerat.
Solus Pontifex
Romam vel facit, vel implet.
Te Pontifice CLEMENS
Reddita ſibi quoque Roma eſt,
Nunc enim Roma verè Amor.

L I B E R A L I T A S

Alexander Quintus

Aucta dignitate opes minuit,
Teſtatus ſe in Epiſcopatu Diuitem,
Inopem in Purpura,
In Solio Mendicum.
Dignitas creſcit auro decreſcente.
Liberaliſſime CLEMENS
Omnia tribuis.
Tibi pro Theſauro eſt
Beneuolentia Populorum.

AMOR PONTIFICIÆ DITIONIS

Martinus Quintus

Diuiſa in Pontifices Eccleſia
Solus eligitur,
Qui Eccleſiæ præeſſet,
Dictus Patriæ Pater.
Rempublicam parit, qui bene imperat.
Amantiſſime CLEMENS
Eccleſiæ Ditionem recreas, & componis
Ergo dicaris Patriæ Pater.
Eſt Pater, qui præeſt; vt proſit.

GENEROSITAS

Eugenius Quartus

Inter aduerſa, & ærumnas
Per Florentinam Synodum
Græcos adiunxit Eccleſiæ Latinæ.
Religio magis floret,
Dum ſqualere videtur.
Generoſe CLEMENS
Te Nauclero
Nauis Petri Portum habet.
Nihil nocet, dum nemini nocetur.

CVRA SACRORVM RITVVM

Nicolaus Quintus

Magnorum Operum Auctor
Maximum opus cenſuit,
Sacros Ritus tueri.
Eccleſia continetur Ritibus.
Sanctiſſime CLEMENS
In ſacro Rerum faſtigio
Vel Minima ritè præſtas.
Hoc eſt Pontificem agere
Ex ritu agere.

LABOR INDEFESSVS

Pius Secundus.

Grauis Aetate, ac Dignitate
Mantuam ſe deportauit:
Vt Principes fœdere necteret.
Præſentia Pontificis inſtar magnetis
Principes, Populos trahit.
Indefeſſe CLEMENS.
Ad ſanciendam pacem
Te moleſto itineri obtuliſti.
Hæc gemma implet Tuum Diadema;
Bonus Paſtor quærit oues, non expectat.

MAGNIFICENTIA

Sixtus Quartus

Ianiculenſi Ponte reſtituto
Pluribuſque ædificijs excitatis
Romam per magnificentiam ornauit.
Hæc virtus magnæ animæ index
Deeſſe Tibi CLEMENS non potuit.
Pons Aelius nobilitatus
Aliaquè inſignia opera probant,
Suam ineſſe Clementiæ magnificentiam.

INNOCENTIA

Innocentius Octauus

Dum Claues Cæli tenet,
Nouus Terræ Orbis panditur.
Aperit ſeſe natura
Ad innocentiæ Nomen.
Maxime CLEMENS
Non eſt, cur miremur,
Si te Pontifice noua Regna pacantur.
Es nomine Clemens,
Opere innocens.

IVSTITIA

Iulius Secundus

Ne Pietas timeret, armauit Pietatem.
Armata Religio
Seruat Orbem, non perdit.
Mitiſſime CLEMENS
Amas Clementiam,
Non minus tamen Iuſtitiam.
Illa timetur,
Dum hæc non timet.

HVMANITAS

Leo Decimus

Feſſam Martialibus curis,
Vrbem recreauit
Sapientiæ ſpectaculis, Potentiæ beneficijs.
Populorum ſolatia ſunt
Spectacula, & Beneficia.
Humaniſſime CLEMENS
Aureæ illi Aetati non inuidet
Noſtra Aetas pluſquam aurea,
Qua regnare eſt recreare.

CVLTVS SANCTORVM

Paulus Tertius

S. IGNATIVM LOIOLAM
Et ab eo inſtitutam Societatem IESV
Amauit, probauit, fouit;
Ratus, bene mereri ſe de omnibus,
Dum de Vno bene meretur.
Optime CLEMENS
Quantum Tibi debet Societas IESV!
Tui Primitiæ Pontificatus
Fuere IGNATII honores.
Patris decus incrementum Prolis.

PERSEVERANTIA

Pius Quartus

Concilio Tridentino,
Per ſummas difficultates
Abſoluto , & comprobato ,
Suum ſeruauit Eccleſiæ Spiritum,
Suum Decus ;
Tu etiam CLEMENS impauide
Quà inſtitutis , quà auctis
Purpuratorum cætibus
Nec difficultati cedis , nec labori ,
Vt fides vigeat , & mores .
Eccleſia viuit fide, moribus nitet .

TVTELA ECCLESIÆ

Pius Quintus

Othomanam Potentiam
Armata Chriſtianorum Claſſe
Terruit , & fregit .
Excidium eſt Barbarorum
Chriſtianæ Gentis concordia ,
Eccleſiæ vindex CLEMENS
Quid non agis ,
Vt coniunctis Principum Viribus ,
Eccleſia Mahometem debellet ?
Feritur illa, niſi hunc ferit .

OPTIMVS PONTIFICATVS

Gregorius Decimus Tertius

Fidem Catholicam firmaturus,
Romanum Collegium fundauit
Religioni, & bonis Artibus.
Præſidia ſunt Religionis bonæ Artes
CLEMENS Maxime
Tu votum Gregorij expleuiſti,
Decurrens in hoc Stadio
Per bonas Artes ad Pontificatum.
Catholicæ fidei firmamentum eſt
Optimus Pontifex.

Dexteram porticum Romanorum Principum
icones hoc Ordine obtinebant.

AMOR POPVLI

Romulus

Vrbis fundatorem in Romulo .
Maiorem in CLEMENTE
Conſeruatorem venerare.
Vrbes condere fortunæ eſt opus,
Tueri parta virtutis .
Ille ſuos ditauit alieno,
Hic alienos locupletat de ſuo;
Ille terrore regnauit periturus;
Hic per amorem dominatur,
Cuius immortale regnum eſt.

VRBIS CVSTODIA

Numa

Martis regiam ſub Romnlo
Laceſſierant finitimi Romam ,
A Numa verſam in templum coluere.
Si tantum valuit
Superſtitio Sabini Regis ,
Quantum erit præſidium
In Religione CLEMENTIS ?
Capitolij tutelam tribuere
Ancilibus falsò de Cœlo lapſis,
Nos ROSPIGLIOSIAE Gentis Inſignibus
Verè de Cœlo datis
Securam Vaticani pacem debemus ,
Quam ſi cuſtodias more caſtrorum,
Veriùs euertis .

LEGVM CVSTODIA
T. M. Torquatus

T.M. Torquatus adoleſcens
Erga ſeuerum Patrem mirè pius,
Vir in fortem filium mirè Seuerus
Militarem diſciplinam
Filij victoria labantem
Eiuſdem cæde reſtituit.
Scilicet imperia Conſulum
Sancire filiorum ſanguine Romanum eſt.
Sed in Te CLEMENS Diuinum eſt,
Vel cum tuæ vitæ periculo
Præ ſobole pretioſæ,
Pontificum ritus inſtaurare.

GRATVS ANIMVS
Auguſtus

Partam à Ceſare gloriam
Cæſaris Hæres tuetur Auguſtus,
Apud quem facta Patris improbare piaculum.
CLEMENS Alexandri gloriam
Et tuetur, & auget:
Et quod in Principe, & ſucceſſore nouum eſt,
Imminuta vectigalia ſuis laudibus detrahit,
Laudibus Deceſſoris adiungit.
At ſuæ gloriæ diues
Alienæ non indiget Alexander,
Vt plurima Clementi debeamus,
Plura debemus Alexandro Clementem ipſum.

CONTEMPTVS GLORIÆ

Traianus

Et noua, & magna in Principe virtus eſt
Maior de gloria Deceſſoris ſollicitudo
Quam de ſua.
Hanc adumbratam à Traiano CLEMENS expreſſit.
Non culpare coram viuente Principe extinctum
Poſſumus, quod magnum eſt:
Poſſumus & laudare, quod maius:
Et quod maximum eſt, etiam debemus.
Dediſce veteres aulæ Seiane mores:
Nouis vtendum artibus eſt;
Vis placere ſucceſſori Clementi?
Caue Clementem laudes,
Lauda Alexandrum Deceſſorem.

MANSVETVDO

C. Iulius Cæſar

Feliciſſima Cæſaris memoria,
Sed felicior obliuio;
Nihil vnquam oblitus præter iniurias
Aſſurgit ſupra triumphos.
Vincere & parcere Romanum eſt.
Sed vincendo Cæſar ſubegit hoſtem,
Parcendo ſuperauit Cæſarem.
Sed quæ ſumma Cæſaris laus,
Hæc tibi penè poſtrema Mitiſſime Princeps.
IACOBE CARD. ROSPIGLIOSI
Quam ſublimis eſt manſuetudo,
Cuius infimus gradus eſt
Qui fuit Cæſari Summus.

PO-

POPVLORVM FAVOR
Pompeius

Futurus mox Pompeius
Nullo parcente ſuperum miſer,
Nullo turbante olim felix
Prodeſſe ſibi ſenſit & damna.
Quantum debuit Campanis febribus,
E quibus grandem tulit
Triumphorum fructum Italiæ amorem
Cum Pompeio languentis,
Et pro Pompeio vouentis.
Et tibi IACOBE profuere pericula,
Quæ oſtenderunt,
Quantum tibi ſollicita timeret,
Hoc eſt quantum te amaret Europa.

PRVDENTIA
Q. Scæuola

Habuit in Q. Scæuola Romanus Senatus
Quod proponeret exemplum officij
Ituris in Prouinciam magiſtratibus
Habet Apoſtolica Sedes
In IACOBO ROSPIGLIOSIO
Quod exhibeat exemplar
Ituris ad Principes Nuntijs.
I: dicat ituro,
IACOBVM ROSPIGLIOSIVM imitare
Angelum repræſentabis.
Angelos mittit Deus;
Et Angelos decet eſſe, quos mittit Vicarius Dei.

MODESTIA
M. P. Cato.

Peregrinantis Catonis non ſerui numerabantur,
Sed Victoriæ.
Diſſimulas fruſtrà ſuſcepto in itinere
CAMILLE perſonam.
Quam paucos trahis aulicos! at quot virtutes!
Non illi te produnt, ſed iſtæ;
Obuijſque clamant: Hic eſt Camillus.
Solem non ſiderum fulgor peregrinus oſtentat,
Sed ſuus.
Toto vultu Camille ſpiras
Incluſum Principem;
Deſpera latere.
Populis Te plenus occurris, & Clemente.

PAVPERVM CVRA
Adrianus

Quiſquis Adrianum ſuſpicis
Mulierculæ Cæſareas aures adeunti
Inclinantem in triuijs
Adoratam mundo Maieſtatem,
CAMILLVM ſuſpice.
Opus vnum Adriani
Tota vita Camilli eſt.
Vtrumque tamen miraculum in vtroque
Magnum in Adriano, quia rarum.
Maius in Camillo, quia frequens.

CONTEMPTVS AVRI
Fabricius

Mitte Roma Fabricium,
CAMILLVM loquere.
Nolle ſe dixit ille Samnitum aurum.
Moderatè; Sed velle imperium, ſuperbè.
Victorem auaritiæ ambitio ſuperauit.
Camillus vtriuſque debellator eſt.
Aurum ſpernit, & imperium.
Erraui.
Amat aurum, non vt colligat,
Sed vt ſpargat;
Amat imperium,
Vt fructum capiat maximum ex imperio
Imperare felicitati ſuæ, ſeruire noſtræ.

PIETAS
Camillus

Ioue tantùm, & Camillo freta
Orbis imperium ſperauit Vrbis ambitio.
Præſens Clementis Numen,
Nota CAMILLI Pietas
Quid non promittat?
Audi anxia vota Populorum:
Hoc vnum petimus Superi à vobis:
Incolume Par ingens fratrum.
Negate cœtera. Cœtera dabit
Soſpite Clemente Camillus ſoſpes.

MO-

MODERATIO
Metellus Pius : Metellus Numid

Reuerenter habere fortunam
Sapientis eſt.
Metellos laudauit antiquitas
Quod ferrum tractauerint fortiter,
Et quod animos
Continuerint fortius.
Germano ad faſtigium euecto
Medium non deſeruit
CAMILLVS ROSPIGLIOSIVS.
Felicitatis in occurſu
Qui frangi potuiſſet ſi flecti non potuit?
Imo potuit.
Depreſſit illum ad pauperum curam
Fortuna dum euexit.

HISTORIARVM COGNITIO
L. Lucullus

Artem militarem
E libris educere in Caſtra
Ars vetus Luculli,
Recens Vincentij fuit.
Præſtat eminus ſcire,
Quæ cominus facias.
Armatam Palladem
Ante concipere, quàm parere.
Ventilatæ paginæ
Martem accendunt.
Et hoc eſt
Libros voluendo velitari.

FOR-

LITTERARVM AMOR
Mecoenas

Habet & ætas noſtra Mecœnatem ſuum,
Sed ſine vitijs.
Atauis Regibus edito Mecoenate
Eo maior eſt, quò melior.
Veteri Romæ inſtar prodigij fuit
Vir effœminatus, & litteratus.
Recenti Romæ inſtar prodigij
FELIX es,
Qui felicitatis in contubernium
Sapientiam vocas, & Pietatem.

CONCORDIÆ STVDIVM
Mennenius Agrippa

Plebem Patribus, Romæ Romam
Reſtituit eloquentia, & prudentia
Mennenij Agrippæ.
Hoc eſt prudentis eloquentiæ munus
Diſcordes nectere aureis oris catenis.
Hoc eſt auitum tuæ gentis,
Hoc proprium indolis excelſæ bonum,
Et ideo tuum THOMA;
Et velle probe, & feliciter poſſe
Concordiam diſcordibus,
Diſcordes ſibi reddere.
Hic eſt triumphus pacis,
Quo nobiliorem
Bella non habent.

MISERICORDIA
M. Marcellus

Quem hoſtem expertæ fuerant oppugnatæ,
Patrem expugnatæ Syracuſæ ſenſere
M. Marcellum.
Expugnaturus intulit Vrbi mala,
Fleuit Victor mala quæ fecerat,
Sed nihil miſeris profuere
Inanes Victoris hoſtis lachrymæ,
Quæ malorum magnitudinem
Oſtenderunt, non leuarunt.
Quis Marcello THOMAM non præferat,
Qui miſerorum calamitates
Non tam lachrymis, quam auro rigat,
Vt areſcant, vel decreſcant.

LINGVÆ CVSTODIA
Veſpaſianus

Hoc eſt roſas loqui, ſed ſine ſpinis,
Alios odore laudis aſpergere,
Nunquam pungere maledictis.
Quod in te virtutis decus
IOANNES BAPTISTA ROSPIGLIOSI
Iure laudamus, iure amamus.
Omnium laudes, amores omnium
Meretur lingua nulli nocens:
Tibi concedat Veſpaſianus
Aliorum malefacta prius damnans,
Mox excuſans.
Malo linguam nunquam vulnerantem,
Quàm poſt vulnera medentem:

BE-

BENEFICENTIA

Titus

Non ſolibus dies numerantur,
Sed beneficijs.
Audi oraculum Titi.
Perdere ſe dolet dies,
Quos beneficentia non lucratur.
Temporis auaritia virtus eſt.
Et quia virtus eſt,
Veſtra eſt, ò ROSPIGLIOSII.
Ne vel momenta perdatis,
Vnum ſemper agitis omnes,
Omnibus benefacere.

INTEGRITAS

Scipio Naſica

Explica totos Scipionum faſtos,
Currus triumphales oſtenta,
Vnico Scipionis Naſicæ decore
Vincuntur.
Senatus iudicio optimus habitus
Auxit bellicas maiorum laudes
Togatæ virtutis gloria.
E Vobis Roſpiglioſij Principes
Sapientum Senatus
Legeret omnes vt optimos,
Scilicet ſapientum iudicio
ROSPIGIOSIVS, & OPTIMVS
Sinonyma ſunt.

GLORIA FILII

P. Scipio Afr. Pater

Quiſquis P. Scipionem Belli fulmen laudas,
Cum Patrem dixeris Africani, ſile cætera;
Hoc eſt dignum Scipione elogium
Filius Africanus;
Sed nobilius
HIERONYMI ROSPIGLIOSII
Filius Clemens.
Scire pudet poſt tale decus
Quæ munificè, quæ prudenter,
Quæ religiosè geſſerit;
Magnus eſt Clementis Pater,
Quia dedit Orbi terrarum maximum filium

PATIENTIA VICTRIX

M. Attilius Regulus

Virtutem in hoſte miramur facilè,
Vix amamus.
Mirata eſt Carthago
Fortiter pugnantem Regulum,
Et fortiùs tolerantem;
Sed ſuſpexit, & torſit.
Suſpexere barbari
Fortiter, ſed infeliciter pugnantem
POMPEIVM ROSPIGLIOSIVM
Melitenſem Baiuliuum,
Captum amauere, redemptum coluere donis.
Quanta virtus erat
Quæ potuit à barbaris
In hoſte amari.

IN-

INNOCENTIA
Druſus Coſ.

Noluit innocens Druſus
Oblatam ab Architecto domum
Immunem à conſpectu aliorum,
Maluiſſet omnium ſubiectam oculis.
Quid enim timeat alienos oculos,
Qui non timet conſcientiam ſuam.
Digna ſpectari innocentia eſt,
Nec timet quod meretur.
Quod voluiſſet in Domo Druſus
Admittere in in animo poteras BARTHOLOMÆE
Dignus Clemente Fratre;
Nihil in te niſi Sanctum vel inuidia ſpectaſſet,
Quem & modeſtiſſima facies
Innocentiæ ſedem oſtendebat.

VIRGINITAS
Druſus Tib. Fil.

Quantus futurus eſſes,
Hoc eſt non impar nomini ALEXANDER
Sperare protinus potuit;
Sed qualem te ſperauerat
Melitenſis Ordo habere non potuit;
Morum ſuauitate acceptiſſimus hominibus,
Sed eorum integritate acceptior Dèo
Lilium pudoris intactum
Cœleſtibus hortis intuliſti.
Vt olim Druſus Romani populi,
Sic ipſe tuæ gentis breuis amor,
Sed æternum decus.

COMITAS

Germanicus Cœſar

Hinc Germanicum contemplare,
Inde HIERONYMVM ROSPIGLIOSIVM,
In Vtroque Ciuile ingenium amabis,
Mentem cuilibet moli parem
Miraberis in vtroque;
Sed vt ille Romæ,
Sic iſte Matriti breue delicium,
Magno Patruo dignus comes,
Imo curarum ſocius
Deceſſit immaturus.
Si vnquam immatura eſt
Roſpiglioſia Virtus.

PERFECTA VIRTVS

Druſus Claudius

Quæ de Druſo Claudio
Adulator finxit Hiſtoricus,
ANTONIVS ROSPIGLIOSIVS impleuit,
Adoleſcens tot tantarumque virtutum,
Quot capit natura mortalis,
Vel percipit induſtria.
Senis Bonarum Artium cultor
Philoſophus, Iuriſperitus, Theologus,
Sed felicior meliorum amator
Innocens, Pius, Religioſus,
Fluxam ſapientiæ lauream
Terris non doluit areſcere,
Qui virtutum æternam
Parauerat in Cœlo

IN-

INDOLES EXCELSA

Marcellus Aug. Nep.

Manibus date lilia plenis
ABSALON ROSPIGLIOSIVS
S. Stephani Eques
Supra Marcellum futurus erat,
Niſi & hunc
Maluiſſent ſuperi
Terris oſtendere, quam dare.
Ingenio, doctrina, prudentia
Magnæ fortunæ capax,
Quam mors immatura
Præripere potuit,
Meritum non potuit;
Virtuti ſatis eſt meruiſſe.

Ad Elogiorum latera, quas virtutes calamus ornauerat, eaſdem pennicillus per gemina inſignia coloribus exprimebat.

Conſtantia immota.

SIlverij Sanctiſſimi Pontificis, Martyriſque conſtantiam, quam CLEMENS, cum primò inauguratus eſt Pontifex, ad imitandum ſibi propoſitam eſſe excuſo numiſmate euulgauit, Adamantis imagine adumbrauimus, cum elogio;

Nec mollior, nec frangor.

Ea enim vera animi conſtantia eſt, quæ duris item ac lenibus non mouetur.

Virtus inuariata.

VIrtutum decora eadem ſemper, in omni rerum, ac temporum varietate, ab animo CLEMENTIS inuariato retenta, fulgentium in Cælo ſiderum Inſigni notauimus: aſſentiebant voces:

Mouentur, non mutantur.

Nihil magis cœleſte, quàm virtus; hanc igitur motus haud mutat.

Mens recta.

DE ſolari Horologio, in quo viarum imaginem lineæ repræſentant, quis aptè, ac iure non dixerit,

Diſponit cum ſole vias?

Hæc igitur figura, & hæ voces CLEMENTEM innuere videntur vias vitæ ſuæ omnes iuſtè, ſanctèque cum diuini ſolis lumine diſponentem.

Iuſti-

Iuſtitia clemens.

C Vm iuſtitiam eſſe deceat, quæ flecti aliquando ſe ſinat ab æquitate: Eam hoc etiam nomine in CLEMENTE laudatam, nudo gladio repræſentauimus: legebatur verò,

Probatur & flexu.

Tritum eſt, gladiorum optimos probari, cum flectuntur ſcilicet, nec franguntur.

Ingenium ingenuum.

V Erborum, & operum integrum cum animo in CLEMENTE conſenſum, numiſmate cum adpicto illi prælo aptè ſignificari putauimus, adiectis vocibus,

Reſpondet typo.

Probatur enim ingenuitas, ſi ceu typo numiſma, ità & menti dicta, factaque reſpondeant.

Solertia prudens.

S Olertis in CLEMENTE prudentiæ ſignum fuit machina ſtillatoria; de qua dicebatur;

Ex bonis optimum.

Quod enim vis ignis in herbis, &c. hoc in rebus omnibus ſolertia Pontificis efficit, vt ex bonis optimum ſemper eliciat.

Conſilium ſagax.

F Lexilem tubam animoſa animatam Epigraphe,

Per obliqua clareſcit.

Sagaci CLEMENTIS conſilio indicando attribuimus, quod veluti è flexu tubæ ſonus, ex implicitarum explicatu rerum inclaruit.

Cultus erga Deiparam.

DEiparæ Conceptæ celebrandis honoribus ſeptem à CLEMENTE dies adiectos pictura indicauimus ſeptem cœleſtium Orbium, quorum ab aſtris nomen inditum eſt diebus, petita ex Pſalte ſententia de Cœlis aiente,

Enarrant gloriam Dei.

Et Deipara ſine labe concepta gloria Dei eſt, quam ſeptem Dies, vti totidem cœleſtes Orbes, CLEMENTIS iuſſu dilaudant.

Honor auctus Ignatio.

NObilis vnio pretium tunc ſummum accipit, cum, ad ornatum aurium, adiecto ſibi compare duplicatur. Hic porrò vnicus in theca depictus inauris, carmine accinente,

Duplex conſummat honorem.

Officij nota fuit ſub ritu duplici IGNATIO à CLEMENTE decreti; quo eius honorem in Eccleſia conſummauit.

ROSÆ LIMENSIS VIRGINIS inter Beatos translatio.

ROSAE Peruanæ Virginis à CLEMENTE Beatorum honoribus auctæ inſigne fuit roſa dehiſcens, cum dicto, *Cle-*

Clementi pandor ab aura.

Roſam enim vtramque, & illam hortorum, tepentis Veris, & hanc Cœli, fauentis Pontificis aura clemens expandit.

Præſidium in Turcas.

LVna ſoli exorienti aduerſa, cum carmine,

Languet ad exortum,

Index fuit, & omen, fore vt Thracius hoſtis in Cretenſis Arcis obſidione, ad præſidij aduentum à CLEMENTE ſubmiſſi, fractis viribus animum deſpondeat, ac deſperet.

Ornatus in Ælio Ponte.

QVæ mens CLEMENTI fuerit in Aelij Pontis ornatu, Angelorum cædis Dominicæ inſtrumẽta monſtrantium ſimulacris illi vtrinque impoſitis, adiecto huic ipſi figuræ carmine, interpretari voluimus,

Medio tutiſſimus ibis.

Docere nimirum voluit Sanctiſſimus Pontifex, per Chriſti pœnas, & mortem, viam ad Cœlum Chriſti legem profitentibus eſſe tutiſſimam.

Subſidia occulta.

INcubantem nido auem, additis verbis,

Tegit, & fouet.

Beneficæ illius pietatis in CLEMENTE fecimus argumentum, quæ, vti pullos ſuos tegendo fouet

auicula, ita & ipſa pudentes inopes occultat, dum-iůuat.

Beneficentia cordata.

BOmbyx ſerici ſuis è viſceribus expreſſi opiſex, adſcripto elogio,

Per viſcera prodeſt.

CLEMENTIS beneficentiam oſtendebat, qui, quæ confert in alios beneficia, ea ex animo, & corde depromit.

Pietas in ægrotos.

FOns è cratere deciduus, floreſque in areolis irrigans, liquido vocum luſu,

Labendo, & lambendo,

CLEMENTIS pietatem notauit ægrotos in noſocomijs inuiſentis: vbi, maieſtate inclinata, veluti labendo, affectam, miſeramque turbam vocis ſolatio, & ope munerum, quaſi lambendo recreabat.

Excelſa demiſſio.

QVanta CLEMENTI acceſſit commendatio à miniſterio pauperum in Sanctiſſimæ Trinitatis Hoſpitio, quorum etiam ſordes purgauit in pedibus! Id nos ſignificare voluimus pictura fluminis ordinatas in ripa arbores alluentis: voces erant,

Suà decora nutrit.

Ceù flumini irrigatæ ab ipſo arbores, ita & CLEMENTI abluti ab ipſo pauperes cedunt in decus.

Maie-

Maieſtas facilis.

SVccollantium inuectus humeris CLEMENS populo proclini vultu ſalutare ſignum impertiens, procero expreſſus eſt lilio, capitis onere modicè inflexo; additæ illi ſunt voces:

Non riget excelſum.

Et Maieſtatem facilitas commendat in Imperante, non rigor.

Bonus odor.

ODorati vnguenti vas effinximus elegans, cui erat inſcriptum,

Effuſum fragrat.

Eaque imagine Pontificis Optimi nomen longè odoratum extulimus, cum, ipſo inaugurationis ſuæ die CLEMENS effuſa beneficentia vectigal ſuſtulit populare.

Fulgor exempli.

SI ardens in Templo cereus ſenſu, ac ratione polleret, prò tanti obſequij gloria liquari ſe, abſumique gaudens,

Dum luceam.

Generoſa pietate ſcilicet affirmaret. Hoc porrò inſigne viſum eſt accommodum CLEMENTI; qui cùm prima in Templo Dei ſit fax, id ipſa re dicit, quandò in optimum Chriſtianorum exemplum, cum ſuarum etiam decremento virium ſibi libenter incommodat.

Dotes plurimæ, ac præſtantes

DOtes in CLEMENTE plurimas, & præſtantes lectiſſimis, confertiſque in Regio diademate gemmis expreſſimus: ſententiamque verbis abſoluimus,

Et crebris, & raris.

Eo quaſi miraculo, quòd, velut in Corona gemmæ, ita in CLEMENTIS animo dotes multitudinem cum raritate coniungunt.

Veterum Pontificum imitatio.

ELephas, ad ornandum forum Deiparæ ſuper Mineruam, impoſitum ſibi obeliſcum ſuſtinens, appoſita ſententia,

Dant priſca decorem,

Argumento fuit eius in CLEMENTE laudis, qua veterum Pontificum formam ſuis renouare moribus circumfertur, quòd illi multò certè pulchrius eſt, quàm Elephanto monumentum ſapientiæ veteris ſuſtinere.

Imago vera Pontificis.

CVrioſum Matheſis inuentum eſt, ſparſa picturæ fragmenta in tabula ita diſponere, vt cum ea, libero vtriuſque oculi obtutu, ſpectantur, congeries appareat confuſa colorum: qui ſi vno tantum oculo per diſpoſitum aptè tubum videantur, depictam affabrè imaginem repræſentant. Hæc à nobis propoſita eſt figura, eique illud è ſacris Canticis inſcriptum,

In

In vno oculorum.

Quo ſignificari voluimus, ideò diſpici à CLEMENTE, quæ vera ſit imago Pontificis, quia ſuo in Pontificatu, in vno oculorum, recta ſcilicet mente, vnicè Deum ſpectat.

Acclamatio popularis.

PAſchalis Agnus eleganti ſigillo expreſſus à plurimis circumiectis, coniunctiſque ſpeculis reuerberatus, cum paucarum ope vocum,

Vnus ab omnibus.

CLEMENTEM retulit, vnum omnium fauſtis votis, ac vocibus, cordatè ſimul, & candidè ingeminatum.

Æſtimatio ſumma.

SAlomonis ſolium, cui legebatur inſcriptum,

A ſeſſore decus:

In argumentum iuerat æſtimationis, ac reuerentiæ, quam Pontificiæ Sedi Clemens virtutibus ſuis vbiquè vulgatis, ac dilaudatis adiunxit.

Gloria immortalis.

IN Cedro, neſcia corruptelæ arbore, aptè viſa eſt virtutis, ac nominis in CLEMENTE viuax etiam poſt mortem gloria indicari. Ea igitur arbor depicta eſt, & inſcripta,

Nec ſecta putreſcet.

Cæditur enim vt cœteræ arbores Cedrus; ſed non putre-

putreſcit, vt cœteræ. Idem accidet & Clementi: cum illum ſerò mors, vti mortales omnes, abſtulerit, ſuperſtes ipſe ſuo erit nomine immortalis.

CARDINALIS ROSPIGLIOSII

Sapientia prudens.

TOrmentum murale cum carmine,

Menſura dat ictum.

CARDINALIS ROSPIGLIOSII Sapientem prudentiam indicauit, quæ iuſto conſilij pondere, feliciter, vti deſtinat, euenire dat rebus; ſic, vt deſtinatò feriat bombarda, aptè debet inſtrui cum menſura.

Robur in aduerſis.

EIuſdem ſibi ſemper inter aduerſa conſtantis imago fuit arbor procera cum frondibus à vento deciduis: eaquè de ſe ipſa dicebat,

Sed non me decutit:

Neque enim quod ſolidum eſt magnis in arboribus venti, neque animum in fortibus Viris aduerſa decutiunt.

Animi ſuauitas.

EVndem cum obuenientibus aſperis ſuauitatem animi coniungentem, muſico artificio notauimus, in quo nexarum vocum duriore percuſſu; melos exitu dulciore concluditur: accinebat elogium,

Soluit aſpera dulcibus.

Facili ad rem propoſitam explicatu.

Salus recuperata.

FOns in altum per ſiphunculos eiaculatus, cum dicto,

Emicat ab anguſtis,

Eiuſdem Cardinalis nota fuit, qui in periculoſo morbo, ex arcto, ac penè articulo mortis, Europa gratulante, euaſit.

CAMILLI ROSPIGLIOSII

Virtus ſolida.

VEntilabrum cum frumento, ex quo glumæ diſflantur, & paleæ, carmine accedente,

Dat inania ventis,

Camillum notauit ſtudio virtutis ſolidæ procul ab ſe inanem honorum, opumque faſtum habentem.

Largitas felix.

ALtam, maturamque frugem in campo, cum vocibus,

Creuit à iactu,

Ad eiuſdem indicandam fauſtitatem retulimus, quæ tanquam ſparſa ſemente, munifica in alios largitate profecit.

Eleemoſynæ in pauperes.

CYlindrus iacentem in tabula, ac diductam latè, enormiterque figuram aptè erigens, ac pul-

 chrè

chrè expreſſam, repræſentans in ſeſe, cum aſſenſu verborum,

Colligit, & erigit,

Argumentum fuit eiuſdem pietati conueniens, quæ congregat pauperes, eoſque erogata ſtipe ſubleuat.

Peregrinatio Lauretana.

VVam in vite pampinata pinximus, eique dictum adſcripſimus,

Sine pompa maturior:

Et eiuſdem in ſuſcepta Lauretana peregrinatione pietatem, pro animi nempè maturiore fructu, comitatum, & officia non admittentem, putauimus exprimi non ineptè.

VINCENTII ROSPIGLIOSII

Lectio erudita.

VINCENTII ROSPIGLIOSII in Hiſtoriarum lectione ſtudium eruditum, oliuæ arbore ſuis cum baccis expreſſimus: fauebat epigraphe:

Quo tenebras expellat, habet.

Non enim minus ab hiſtorijs animi, quàm ab oliua oculi fructuoſæ lucis accipiunt.

Expeditio in Turcas.

EXpeditioni eiuſdem in Turcas fauſtè ominati ſumus, hoc pacto, Eclipſim Lunæ depinximus; Telluris verò globum medium inter ipſam, & ſolem

quatuor gentilibus ROSPIGLIOSIORVM Rhombis quadrifariam diuiſimus, cum dicto:

Cum ſeſe interijcit.

Atque ita ab ROSPIGLIOSII Equitis oppoſitu Thraciam, vti à telluris interiectu ætheriam Lunam deliquium paſſuram eſſe prædiximus.

FELICIS ROSPIGLIOSII

Litterarum amor.

FELICEM ROSPIGLIOSIVM erudito ſeceſſu vacare ſibi & litteris gaudentem, viſa eſt aptè referre Concha margaritæ, cui dictum inerat,

Sola ſuas ſibi gignit opes.

Nam & gemmis pretioſiora ſunt ſtudia; & hæc veluti conchæ ſuo in fœtu ſeceſſum, & ſolitudinem amant.

Modeſtia laudata.

EIuſdem Modeſtia, qua ſe ipſe publicum in aſpectum minùs dat, publicis laudibus inſignita, in nube indicata eſt ſolaribus radijs illuminata: argumento carmen acceſſit,

Capit celando decorem.

Quod enim à Sole nubi, hoc ab aliena laude modeſtiæ fulgur accedit.

Suauitas efficax.

THOMAE ROSPIGLIOSII in componendis diſſidijs ſuauitas efficax, vel efficacia ſuauis inſigne habuit balſami arborem: figuram verba iuuabant;

Sua vi ſuaui iungit.

Nota vis balſami ad vulnerum, quæ membrorum diuortia ſunt, cicatrices leniter obducendas, facilè per ſe ipſa explicat argumentum.

Benignitas in egentes.

AT ſolem ſereno Cælo depictum, ſuo cum elogio,

Veſtit quoque luce vapores

Eiuſdem benignitati in miſeros homines attribuimus, quos vaporum ſimiles, obſcuros per ſe ſcilicet, ac iacentes, ſolis inſtar vapores luce veſtientis ſua ope munit, ac ſubleuat.

IO. BAPTISTÆ ROSPIGLIOSII

Affabilitas grata.

IO. BAPTISTAE ROSPIGLIOSII gratam omnibus affabilitatem coronatus floribus Zephyrus viſus eſt non inconcinne indicare, cum dicto,

Fauori tantùm.

Vt enim Zephyrus afflatu; ſic IO. BAPTISTA affatu recreat ſemper, & fauet.

Candor ornatus.

EVndem etiam ornato morum candore ſpectabilem cryſtallus eleganter elaborata monſtrabat: adiectæ ſunt voces:

Natura & arte.

Eius nempe moribus; vti cryſtallo, ab natura candor, ab arte ornatus adiungitur.

ROSPIGLIOSIÆ GENTIS

Aduentus Romæ percarus.

ROSPIGLIOSIAE FAMILIAE aduentu viſa eſt Romæ refloruiſſe lætitia, ſignificatum id eſt varijs floribus hilarem Veris ſuauitatem afflantibus: ſacris è canticis petita ſunt verba.

Apparuerunt in terra noſtra.

Clementia & modeſtia.

FRaga item inflexi modicè capitis molli maturitate rubentia, interprete dicto,

Dant mitia odorem.

Pro inſigni fuere non inepto clementiæ, atque modeſtiæ, quarum laude virtutum familia eadem cum primis ſuauiſſimè fragrat.

Largitas ignara peculij

PErſpectam, laudatamque in eadem familia largitatem, bona curantem aliena, non ſua, Aquæductus indicauit triti Poetæ, ſed Principis cum carmine etiam trito, ſed nobili,

Sic vos non Vobis.

ROSPIGLIOSII namque, veluti Aquæductus, eò dumtaxat bona videntur accipere, vt ea deriuent in alios.

Probitas in omnibus probata.

LEctam denique, & probatam in ROSPIGLIOSIIS omnibus probitatem, manipulis frumenti ſignificauimus, ac verbis hiſce inuentum abſoluimus:

Zizania neſciunt.

Vti lolium infelix manipuli lectiores, ita vitiorum dannoſiſſimam æram ROSPIGLIOSII omnes lectiſſimi non admittunt.

Maiores pilas ad quatuor porticus angulos, & obuerſas his paraſtatas, conſequentes Odæ decorabant, quibus tum ſacra, tum profana Roma inclytis CLEMENTIS IX. eiuſque familiæ virtutibus profanos pariter & ſacros honores augurabantur.

TRIVM-

TRIVMPHALIA MONIMENTA
CLEMENTI IX.

Ter maximi CLEMENTIS honoribus,
Locare dignum non humilis furor
  Iuſſit trophæum / Ferte vati
  Barbiton Iſmarium Camenæ;
Pulſum ſequaces quod Ligurum trahat
Graiumque rupes, & Libanitidis,
  Atlantidiſque lecta cedri
  Robora, cum mareote ſilua.
Me, temperato pectine, thracios
Premente neruos, Tibridis ad latus,
  Corinthio ſurgat metallo,
  Barbaricoque Elephante moles,
Faſtigiatis arcubus in tholum;
Sub cuius amplo fornice ſidera
  Meant, fremantque infra vmbilicum
  Turbinibus pluuijſque nubes.
Verùm hæc Quirinis celſior arcibus,
Cælo nec impar machina, maximo
  Clemente, ſe tantùm minorem,
  Quàm caſa ſe minor eſt, fatetur.

CLE-

CLEMENTISSIMI IMPERII

Ætas aurea,

In auream tollitur Columnam,

CLEMENTI IX.

Cognata Cœlo, ſideribus minax,
Aeternitatem vincere geſtiens
In aſtra Traianos reponit,
Fata ſupergradiens Columna.
Viuunt ab artis vulnere marmora,
Spirantque claras ſaucia imagines;
Traianus hìc Iſtrum, rebelli
Hìc Tanaim temerat cruore,
Hìc fundit atra cæde Decebalos.
Sic parta ſeclis exhibet ordine
Trophæa, laudum ſic feraces
Muta ſilex recinit triumphos.
Quod ſi Tyranni gloria Cæſaris
Longùm ſuperſtes viuit honoribus,
Quæ nunc Parenti Orbis dicemus
Perpetuæ monumenta laudis?
Orbis potentum maximus Arbiter,
CLEMENS, tumoris neſcius inuidi,
Virtute fortunam coercens,
Plauſibus, inuidiaque maior.
Tibi in Columnam tollitur aurea,
Quam promis, ætas, Te pia fauſtitas,
Te pax cruentum exoſa Martem,
Funeribus rapient caducis.

CLE-

CLEMENTI IX. PONT. MAX.

Aureæ ætatis Reſtauratori

Tergeminæ perennitatem tiaræ Roma precatur.

Vbi comatus fulgure liuido
Afflans venenum Tænarius vapor
Aſpexit Axem, ceu Cometes
Imperijs metuendus, aurum
Peruertit Orbem. Iam pudor, & fides,
Et pax beatas deſtituunt vices,
Paſſimque graſſantur nefaſtis
Cum furijs ſcelerum tumultus,
Vrunt volentes prælia Cæſares.
Potita ſceptris barbara non ſuis
Regnat libido, & imperandi
Cædibus exſaturat furorem.
Inuexit aurum ferrea tempora.
Virtute, CLEMENS, munifica potens
Regi metallorum imperare
Sæcula nunc reuocat vetuſta;
Abominatum pectore fomitem
Quiſquis malorum proijcit, & luem
Nitentem, hic & felicitati
Natus, & Imperijs, nouatum
Beabit Orbem; iam Tiberis Lyra
Cælum laceſſit fatidico ſono:
Vt ſæpius crines Nepotum
Tergeminis radient tiaris.

CLEMENTI IX. PONT. MAX.

Triumphum promerito

Aſtrigerum currum ſtatuimus.

Non ante iuſſis indocilem iugo
Aptare frontem vecta elephantibus
It Cæſaris virtus per Orbem
Inſolito gradiens triumpho.
Si ſparſus aruis Aemathijs cruor
Non educaſſet Laurigerum decus,
Nec Rhenus, aut vertex Gebennæ,
Aut Rhodanus, domituſque Nilus
Cauſam triumpho ſufficerent parem,
Adhuc triumphet gloria Cæſaris;
Subactus ad currum triumphi
Materies Elephantus ibit.
Sed tu cruentis quid temeras lyram
Clio trophæis? deſine cædium,
Fædèque ſplendentes furoris
Armiſoni celebrare pompas.
CLEMENTIS inde præcipe ſidera
Laudes inaurent. Vulnera fœderum
Canas medentem. Dic profuſo
Sanguine non populi, ſed auro
Orbem ſubactum. Munera amabili
Nexu catenant. Si domuit nigri
Et monſtra Auerni, illi triumphos
Sidereos agitet Bootes.

ROMA
CLEMENTIS IX. PONT. MAX.
Immortalitati ſtatuas pollicetur.

En, vt piorum deſtituens choros,
Rurſumque calcans irremeabilis
Lignum paludis, quærit auram
Praxiteles rediuiuus Orbis
Mandante Roma. Ferte Paron; iubet,
Euiſceratam; iam mihi ſpiritum,
Dextræque torpentis veternum
Sollicitat peregrina virtus.
Tollenda nuſquam viſa Quiritibus
In aſtra moles; Hac ego ſæculis
CLEMENTIS immortale nomen
Tradere iam meditor futuris.
Sic eſt: Vetuſtas luſtra volubilis
Rotabit æui; tunc Capitolium
Premet ruinoſum Viator,
Noſtra tamen ſimulacra viuent.
Iacent coloſſi, condiderim licèt
Tot ipſe Diuos; vixque ſitu obruta
Teſtantur antiqum decorem
Saxa meis tumulata ſaxis.
CLEMENTE viuam. Clara perennior
Fit arte virtus. Et malè quæritur
Aduersùs annorum venenum,
E Parijs medicamen antris.

ROMA VIRTVTI GENTIS
ROSPIGLIOSIÆ
Immortales honores in Cælo auſpicatur.

Romæ imperantem crediderim Deum,
Dùm ſceptra CLEMENS Pontificum iubar
  Tractare cœpit, quem ſorores
  Tartareæ tremuere noctis.
Non illum Hidaſpis littora feruidi
Gemmata flectunt; non animum mouet
  Recti tenacem diues Hermus,
  Aurifero licèt amne currat.
Quis temperato lumine ſplendidam
Mentem CAMILLI, & Romuleæ decus
  THOMAM iuuentæ? Quis IACOBI
  Egregios ſileat labores?
At tu minacis frangere cornua
Inuiſa Lunæ Mars Equitum potes
  Illuſtris Heros, laureato
  Nomine quem celebrant triumphi.
Anguſta vobis Roma, licèt regat
Auguſta terras, Aethereum genus:
  Cœlum perennes ominatur
  Imperio meliore faſces.
Gens clara terris maior in arduis
Regnabit aſtris, hic trabeæ graues
  Auro renident, & corona
  Sidereis pretioſa flammis.

ROSPI-

ROSPIGLIOSIÆ GENTI

Bene ominatur.

Quo te benigni prouehat ætheris
Secundior vis? Quem Capitolio
Inferre ſperes lætiorem
ROSPIGLIOSA domus triumphum!
Clauſit ſuis mortalia terminis
Numen, ſed immortale decempedis,
Certiſque metari recuſat
Limitibus triplicis Tiaræ
Regnum; cui vna eſt parque decempeda
CLEMENTIS auguſtum Caput, & tui
Lares, Hetruſcæ ô prima gentis
Gloria, deliciumque Romæ.
Ergo tuus ſol exoritur; tua
Per regna totum circumagit diem,
Tuo fatigatum reclinat
Oceano reficitque currum.
Curuata flectit ſe tibi ſiderum
Nunquam negatis obſequijs domus,
Pluuntque nubes ſiue flammas,
Siue roſas, charitumque mella.
Voces. Quid vltra iam voueat tibi
Ignorat æſtro lætitiæ ebria
Mens: obſtrepunt clamoſa votis
Gaudia. Sic vtinam tricenis
Lætum perennent fixa trabalibus
Clauis, tenorque hic ſortis in vltima
Duret futurorum Nepotum
Sæcula, progeniemque totam.

RO-

CLEMENTI IX. PONT. MAX. & familiæ Roſpiglioſiæ honoribus Poeſim conſecrat.

Iulium ſidus celebrare Clio
Mitte, quà ſacro Tiberinus amne
Romuli ſeptem iuga laureatæ
Vrbis adorat:
Mundus Auguſti ſileat Britannum
Fræna mordentem; dare colla loris
Viderit quamuis glacialis Vrſa
Regna Trionis.
Cœſarum ſolem grauiore Muſa
Sume regnantem celebrare plectro:
Cernis, vt Regum venerantur Aſtra
Sidus Olorum?
Martyrum auguſtos iuuenilis olim
Muſa CLEMENTIS cecinit triumphos,
Dum Sophocleo ſtetit inuidenda
Scena cothurno:
Ille nunc Diti metuenda tractat
Sceptra, quem Romæ fremit imperantem
Nata de cæco Phlegetontis amne
Hæreſis Hydra.
Perge iam Tibri comitatus Vmbro
Facta CLEMENTIS moderantis Orbem,
Gentis & famam ære perenniorem
Scribere faſtis.

POPVLORVM PLAVSVM,
Et amorem in
CLEMENTEM NONVM P. M.
& Gentem Roſpiglioſiam
Roma modulatur.

Perge, quæ pennis animata centum
Fama ad extremi Garamamtis oram
Ducis heroes, alioque terras
Sole calentes.
Perge CLEMENTIS decora alta Magni
Plauſibus Romæ reſonare; Gentis
Facta regnantis memorare diſcant
Ora Nepotum.
Aſtra Romano redimita plauſu
Credimus curſum tenuiſſe: plenis
Dum ſalutantum vomuere templa
Aedibus vndam.
Voce, qua colles feriuntur vrbis;
Vnde ſubiectæ gemuere valles,
Roma CLEMENTEM ſonat, ominando
Neſtoris æuum.
Arte Diuina moderatus Orbem
Viue Romani populi voluptas;
Quem catenati comitantur auro
Vrbis amores.
Viue; reſponſant iuga Vaticani,
Et flagellatæ reboante nubes
Voce: te nunquam celebrare mittat
Fama ſuperſtes.

RO-

R O M A

IACOBO ROSPIGLIOSIO Ad Belgas Internuntio purpuram ominatur.

ROSPIGLIOSI gloria Sanguinis
Cum purpuratos deſereret Lares
  Regnantis vrbis: hæc ſuperbus
  Fatidico dedit ore Tybris.
Cur ſacra linquens Exquilij iugá
IACOBE collis, vota gementium
  Fallis Quiritum? flos pudoris,
  Veraque Romulidum voluptas
Intaminato lumine purior
Per ora virtus Cœlituum volat,
  Cui ſacra faſces præpotentis
  Imperij fabricantur Aſtra.
Quìn te repoſcunt extera littora:
Calcanda magni ſemita Iulij:
  Hic imperabit fulguranti
  Pontificum trabeatus auro
Poſt obſtinatis bella doloribus
Pugnata Romæ viribus integer
  Redderis, & Gentem Quirinam
  Romuleo recreabis oſtrò.
Hæc ille fatus; fluminis alueo
Mox ora merſit; ROSPIGLIOSIAE
  Plauſiſſe Genti læta fertur
  Roma nouos meditata faſces.

PVR-

PVRPVRÆ NOVVM DECVS
A IACOBO CARD. ROSPIGLIOSIO

Centum procis ambita, nec centum minùs
  Votis procorum contumax
ROSPIGLIOSAE gentis inclitos lares
  Subire nam te purpura
Iuuit, & Atlantis Vaticani cingere
  Vicarium amplexu Herculem
Quam viuidas lætaſque vibrabis faces?
  Quos aureæ lucis globos?
Imbuta veluti ſole nubes reciprocis
  Accenditur Parælijs.
Non te Lacena dicere audebit ſuum
  Arachne opus, vel Lidia,
Tinctamque Sidon te negauerit ſuo,
  Suo Tyrus conchilio:
Sed purpurarum ſanguine illarum ebriam,
  Quæ lucidis Cœleſtium
Aquarum (& ipſis ſunt ſuæ ſuperis aquæ)
  Naſcuntur in viuarijs
Sic eſt nitorem inglorijs confert viris
  Purpura, ſed à claris refert.

CAMILLO ROSPIGLIOSIO

Ciuica Corona

O, ſeu feraci frondis in Algido
Parem vna matri fers ſyluæ comam,
  Siue arborum vulgus minorum
  Chaoniaſque regis ſorores
Quercus CAMILLO debita, montis è
Nido paterni ſurge viri caput
  Totis coronatura flexis
  In meritum diadema ramis.
Natale nec te pœniteat nemus
Et contribules linquere fraxinos,
  Nam fronte in auguſta comantum
  Eliſium aſpicies virere
Nemus Coronarum, & noua rumpere
Subinde truncos germina: te ſalus
  CAMILLE noſtra, te coronat
  Perpetuis tua nempe ſertis
Qua fata vincis dextera perditi
Leuamen & ſpes inclyta ſæculi,
  Auro coronentur Tyranni:
  Splendidius diadema nullum eſt,
Quàm ciuis euerſi innocuum caput
Neceſſitatis ſubtrahere à iugo,
  Et vltimo nutans ſub ictu
  Carnifici eripuiſſe fato.

VIN-

VINCENTIO ROSPIGLIOSIO

Coronæ Roſtratæ Tributum

Pallete Thraces, iam ſuper æquora
Armatus haſta Martis, & ægide
Diuæ triumphalem carinam
Scandit eques, pauidæque Cretæ
Curas reſoluit, præcipites agit
Terror phalanges. Vixque iubar procul
Crucis refulſit bellicoſæ,
Et tremulæ micuere criſtæ,
Portis iuuentus libera proſilit,
Hoſtile littus viſere geſtiens,
Quà parte bellarent, ſagittas
Quà iacerent ſtatione Thraces.
Poſt fata Cretæ; Per mare Thracium
Vrgebis hoſtes, fluctibus aſperis
Spargens timorem; fluctuabit
Odriſij ſolium Tyranni.
Mox ponderoſas exuuijs rates,
Et fœda nigro carbaſa Sanguine,
Sudante ventorum labore
Ad latias agitabit oras.
Victore tanto Tybri ſuperbior
Prodibis, vdis & manibus ferens
Nauale ſertum, martiali
Cœſariem decorabis vmbra.

FELICI, ET THOMÆ

ROSPIGLIOSIIS

Lauream coronam Pallas nectit.

Artium præſes, ſata Vaticani
Mente fœcunda Gregori Virago,
Cuius in docto Latij iuuentus
Puluere ſudat,
Si tibi ſacrum nemus erudita
Veris intonſi famulatur vmbra,
Et nouis exit iuuenum in Coronas
Laurea ramis,
Serta nunc comi properare dextra
Perge priuatis potiora ſertis,
Dum ſubit Tempe tua cum gemello
Caſtore Pollux!
Principum par, Auſoniæ capaci
Mente qui claudunt ſophiæ fodinas,
Quodque victuris vetus exarauit
Græcia chartis.
Gratiæ tecum facileſque muſæ
In vicem grati veniant laboris,
Floreas acturæ vt Apes recenti
Mane rapinas.
Cumque conſertam dabitis virente
Nexilis lauri folio Coronam,
Hoſpitum crines, meritamque circum
Serpere frontem;

Iſta,

Iſta, dicetis, tenues Camenæ
Ruris è cenſu ferimus tributa,
Sola quæ pauper manibus colentùm
Præbuit hortus.
Nobiles maiora ferent Clientes,
Magnus & mittet Patruus, capillos
Ille non lauro Aonia, Latino
Vinciet oſtro.

CRVX MELITENSIS

IOANNIS BAPTISTÆ ROSPIGLIOSII

Refert, quo ſedeat pectore, quod latus
Non deſiderijs mollibus impleat,
Crux fortiſſima, Pulcris
O deuota periculis?
Martis Threycij Chriſtiadum cohors,
Heroum, quid adhùc ſerua latronibus
Mæret Doris, & Afro
Tuti littore diuidunt
Europæ ſpolia heu barbarici duces?
Non ſic. Magnanimas prouocet æmulæ
Iras laudis amore
IOANNES Equitum decus.
Tantis auſpicijs ibimus, ibimus
Iurati comites, ſiue Propontidis
Poſcant prælia dextras,
Cretæ ſeu propior metus.

Iam-

Iamque introrſus hebes cornua contrahit
Sidus Biſtonium, ſeque Meotidos
Algas inter & vndas
Iò turpiter abdidit.

Academiarum Noſtræ Societatis iconibus porticuum lunulas exornantibus breues has inſcriptiones ad ROSPIGLIOSIÆ Gentis gloriam ſubijcere viſum eſt. Par etenim erat vt principi Societatis Gymnaſio plaudenti reliqua conſentirent.

R O M A

Rerum Princeps Roma
Aperit Veſtro Ingreſſui
Amplum hoc Collegium,
Sapientiæ dicatum.
Gregorij XIII. Opus
Impleuit IVLII ROSPIGLIOSII Mens,

PANORMVS, ET MESSANA.

Cereris, ac Mineruæ Patria
Sicilia
Habet duo Theatra
Panormum, & Meſſanam
Artibus & literis
Inter ſe certantia
Optime CLEMENS
De gloria non tàm ſua quàm Tua.

ME-

Italicæ Sapientiæ Decora
Mediolanum,
Mantua, Parma
Vobis gratulantur
Heroes ROSPIGLIOSII,
Quorum facta
Sunt Italicæ decora virtutis.

NEAPOLIS.

Naturæ, ac Sapientiæ delicias
Parthenope coniungit,
Vobis gratificata,
Principes ROSPIGLIOSII,
Quorum deliciæ ſunt
Sapientia, & Beneficentia.

OLYSIPPO, ET EBORA.

Emporia Luſitanæ
Sapientiæ ac Potentiæ
Olyſippo, & Ebora
ROSPIGLIOSIIS plaudunt
Quorum Domus
Eſt Emporium gratiarum.

CO-

CONIMBRICA.

Palladem quoque ſuam
Conimbrica
Prono obſequio
Tibi ſubijcit,
Maxime CLEMENS,
Cui ſubijci, ſapere eſt.

BRACARA, GOA, COCCINVM.

Vbique regnat Sapientia,
Cuius Regia Domicilia ſunt
Bracara in Luſitania,
Goa, & Coccinum in India,
Non tamen ſine Te
CLEMENS
Qui arbiter es Regnorum.

BAIA, NANGASACHIVM, MEACVM.

Barbaria cedit Clementiæ.
Baia, Nangaſachium,
Meacum
Spreta Barbarorum ferocia
Adorant Te
CLEMENS NONE
Cuius lingua ferociam domat.

MVRCIA, ET GANDIA.

Sapientiam Sanctitas
Vel parit, vel ſouet.
Quod teſtantur
Murcia, & Gandia,
Id Roma diſcit à Vobis,
Principes ROSPIGLIOSII;
Fouetis ex ſanctitate Sapientiam.

MATRITVM.

Vrbs Regum ac Sapientum
Matritum
Te Optime CLEMENS
Amauit Pontificium Nuntium,
Nunc adorat
Patrem Sapientum ac Regum;
Hoc eſt Pontificem Maximum.

HISPALIS, VALENTIA, CAESARAVGVSTA.

Magnarum Vrbium
Incrementa ſunt Academiæ.
Hiſpalis, Valentia,
Cæſarauguſta
Has Tibi CLEMENS repræſentant,
Quo Pontifice
Magnus eſt, qui ſapiens.

GRA-

GRANATA, CALARIS, SASSARIS.

Patrimonium famæ
Literis conſtat, non opibus.
Granata
Calaris, Saſſaris
Hoc tecum gloriantur
IACOBE CARD. ROSPIGLIOSI,
Cuius prouentus fama eſt.

MEXICVM, LIMA, MANILA.

Doctrina Veteris Orbis
Anima noui Orbis fuit.
Mexicum, Lima, Manila
Id fatentur Tibi
CLEMENS,
Cuius Spiritu docetur vterque Orbis.

TOLOSA, TVRNO, MVSSIPONTVM.

Aurum Mundi Sapientia eſt.
Hoc Tibi offerunt
Toloſa, Turno, Muſſipontum
CLEMENS NONE
Cuius auro ſtat
Sapientiæ Mundus.

Fundamentum Operis
Eſt fundator.
Flexia Magno Henrico,
Auaricum Regijs Principibus
Nituntur ſapientiæ fundatoribus
Clemens
Nos nitimur amore Tuo ac Tuorum.
Fundat, qui amat.

LVTETIA.

Regia Galliarum Lutetia
Eſt etiam
Regia literarum;
Tibi tamen obſequitur
CLEMENS
Cuius Regia
Orbem librat, ac ſuſtentat.

LVGDVNVM, ET DOLA.

Primariæ Vrbium Curæ
Negotia ſunt, ac Literæ.
Lugdunum, & Dola
Vtraſque Tibi exhibent curas,
CLEMENS
Cuius negotium ac ſtudium eſt Vrbium ſalus.

BVRDIGALA, PALVM, RHEMI.

Gallicam auxere gloriam
Per Sapientiam, & Religionem.
Burdigala, Palum, Rhemi.
CLEMENS
Te Pontifice
Vbique creſcit Eccleſiæ Decus
Tua Sapientia, & Pietate.

TREVIRI, MOGVNTIA, HERBIPOLIS.

Germanicæ Sapientiæ
Lycea, Treuiri,
Moguntia, Herbipolis
Gratulantur Orbi
De Veſtra Germana Sapientia,
Heroes ROSPIGLIOSII;
Alijs prodeſſe vultis, non Vobis.

VIENNA.

Regia Cæſarum Vienna
Quæ oſtentat Orbi Cæſares,
Tanquam potentiæ fulmina,
Oſtentat quoque CLEMENTEM
Tanquam Sapientiæ Arbitrum.
Potentia fulminat
Per Sapientiam.

TIRNAVIA, GRAECIVM.

Plaudentium Academiarum
Agmen comitantur nobiles Vrbes
Tirnauia, Græcium.
Auguratur ROSPIGLIOSIIS illa
Pannoniæ generoſitatem,
Hæc Auſtriacam felicitatem.
Sapientiæ finis eſt
Generoſitas, & Felicitas.

OLOMVTIVM, PADERBONA.

Veneratio ex longinquo patet.
Olomutium, Paderborna
Quo remotiùs, eo ſapientiùs
Adorant præſentiam Tuam
C L E M E N S.
Placet ex remoto Princeps,
Qui præſens placet.

P R A G A.

Quieſcit in Mineruæ ſinu
Iactata Martis cladibus
Praga Vrbs Tergemina.
Sic quieſcet iactatus orbis,
C L E M E N S,
Sub tuo tergemino Diademate.
Clementia quies eſt Orbis.

INGOLSTADIVM, DILINGA, FRIBVRGVM.

Magna Academiarum nomina
Ingolſtadium,
Dilinga, Friburgum
Se Tibi, CLEMENS, ſiſtunt;
Vt magis inclareſcant
Nomine Tuo.
Fauor Principis eſt Honor Sapientum.

VILNA, DVACVM, MOLSHEMIVM.

Per literarum exercitamenta
Erudimur & munimur.
Id expertæ Vrbes
Vilna, Duacum, Molshemium
Suas palæſtras ſubmittunt
Tibi, magne CLEMENS,
Quo auſpice
Artium Academiæ ſunt
Vrbium Arces.

Poſt

Poſt luſtratam in atrio Romanorum Pontificum, & Principum pompam, ab extrema dextera porticu, oſtium peramplum pandebat aditum in aulam pretioſiſſimis periſtromatis conueſtitam, cuius in fronte ſpectabatur ſub vmbella CLEMENTIS Pontificis effigies plena amabilis maieſtatis, cingentibus mediam minoribus imaginibus hinc NEPOTIS S.R.E. Cardinalis, hinc FRATRIS eiuſdem S.R.E. Generalis Ducis. Epigrammata porro circumfuſa varijs CLEMENTIS IX. & ROSPIGLIOSIORVM PRINCIPVM virtutibus plauſum dabant.

In pulcherrima pictorum florum corona
Hoc Diſtichon.
Epigrammatis præludebat

Hos tibi Muſarum, CLEMENS, quos protulit Hortus
Florea donanti ſæcla Minerua dicat.

Officium
EX CLEMENTIS IX.
Decreto dierum octo cultu, & veneratione celebrandum.

Quæ ſunt, quæ fuerint, & erunt, Deus omnia nouit,
Et qui Diuino proximus Imperio eſt:
Proximus eſt Clemens. Mariā hic ſine labe Parentum
Conceptam arcano Numinis ore docet.
Hanc prior ipſe ſacris maioribus auget. Eamdem
Ignati Socios amplificare iubet.
Imperat, & docet. Hæc vox vna vicaria Cœli
Imperium grande eſt, grande magiſterium.
Diſcimus hinc MARIAE ſine crimine Maieſtatem.
Nil hac doctrina certius eſſe poteſt.
Humana ignorat MARIAM Sapientia. CLEMENS
Numinis è ſolio quam docet; Hęc MARIA eſt.

I N I D E M.

Quæſtio de puncto longiſſima temporis olim,
Tacta ſit an primo crimine VIRGO, fuit.
Chriſtiadum pietas puri celebrabat honores
CONCEPTVS, vno teſtificata die.
Vnus erat teſtis, non inficiandus, at vnus
Ille dies, tanto nomine, teſtis erat.
Protulit hunc CLEMENS: &, labis Virgo canatur
Neſcia, continuis octo diebus, ait.
Quis dubitet tantis iam credere teſtibus? Vni
Subſcribunt puncto temporis octo dies.

SAN-

SANCTVS IGNATIVS

AD CLEMENTEM IX. P. M.

Laurea Cælicolum Deus eſt? Nihil altius vſquam,
Cui diadema Deus, culmen honoris habet.
Incola ſum Cæli LOYOLA. Quid altius optem?
Me tamen ò CLEMENS altius ire iubes.
Auges officijs; Altaris honoribus auges;
Auges Parrhaſijs cultor Imaginibus.
Quid reddam tibi pro meritis? reddetur Amanti
Ardor Amoris Amor, Culmen Honoris Honor.

IESV CHRISTO PONTIFICVM MAX.

IGNATIVS LOYOLA

Pro CLEMENTE IX. Pont. Max.

CHRISTE, tuis quãtũ donis me vincere, CLEMENS,
Et vincire ſuo certet amore, vides.
Illius alta micat mihi condita ſumptibus Aedes;
Pictaque laudata fulget imago manu.
Ille meos ritu duplici cumulauit honores:
Et fouet ille meos; & fauet ille tuis.
An tot ego meritis ingratus dicar, IESV?
Da mihi te dignas immò referre vices.
Tam benè cœpta diù peragat, viuatque iuuetque.
Pontificem tellus ſentiet eſſe Deum.

CLEMENTIS NONI ROSA

Siue

DE ROSA PERVANA

inter Beatas Virgines adſcripta.

Idibus Aprilis Superum è vernantibus Hortis
Quam tibi dat CLEMENS, accipe Roma, ROSAM.
Hæc ROSA ſideribus, ver nobile, vt inſerat Indos:
Mille maritauit Sidera, mille roſis.
Hæc ROSA CLEMENTI quam cordi? Dicat IESVS,
Cui Roſa amoris erat, cui Roſa cordis erat.
Inſere cor cordi, CLEMENS, ROSAE, & inſere vitam;
Ver aget æternum, cui data Vita ROSAE eſt.

EIVSDEM ROSÆ VIRGINIS *A CLEMENTE IX.*

Ordini Beatorum adſcriptæ Proſopopœia.

Ceù roſa, vere nouo, CLEMENTI pandor ab aura,
Cum mihi CLEMENTIS ſanctior aura fauet.
Et mihi thure ſacro fragrantes admouet aras;
Vnde noua tituli laude Beata vocor.
Virgo meis vixi ROSA ſentibus obſita, pœnis
Saucia pro Chriſto, nec ſatiata meis.
Ereptam terris ſed me ſpoliauit IESVS
Sentibus, atque ſuæ ſparſit odore domus.
Sparſit & hunc terris, qui me ſacrauit, odorem,
Qui gemini CLEMENS imperat Orbis odor.
Quid me pandenti, ſuperum Rex alme, repones?
Omnes virtutum pandat vt ipſe roſas.

CLE-

CLEMENS NONVS

Sabbato maioris Hebdomadæ è ſolio Pontificio ſoluit confitentium crimina, & multorum Pauperum æs alienum diſſoluit.

Arcent vincla Deum? Humanũ genus omne ſolutũ eſt.
Expirat Deus? Hic Spiritus eſt Homini.
Numinis hinc CLEMENS in funere liberat omnes
Criminibus mentes: Corpora carceribus.
Vita humana Deo ſtat ſanguine. Paſtor Ouili
Quam donat vitam viuere, Vita Dei eſt.
Vita Dei Deus eſt. CLEMENS è Numine Natos
Non facis eſſe homines: Nos facis eſſe Deos.

AD CLEMENTIS IX.

Pedes Anus fortunata.

Soluerat è noxis adamantina vincla, laboris
Et longi CLEMENS pondere feſſus erat:
De ſolio pedes vſque ſolum deſcenderat: alti
Cum Vetula in ſolij pegma redire rogat.
In ſolium redit ille celer, Dextraquè potenti
Numinis ex Erebo in ſidera tollit Anum.
CLEMENTI fuit hæc pretioſa cruore Tonantis,
Non eſt vilis Anus, cui Deus eſt pretium.

AD

In Principis Apoſtolorum Baſilica peccata confitentibus aures publicè dantem.

Cum ſua iudicio miti commiſſa fatentes
Exciperes CLEMENS publicus aure reos;
Cum pietate pari concurrit ſumma poteſtas:
Hæc tibi dat Chriſti, perficit illa vices.
Aduena ſpectatum coijt, coiere Quirites,
Obtutu fixi lumina, corque tuo,
Et tua tunc multos abſoluit ſumma poteſtas,
Compunxit plures, ſed tua tunc pietas.

CLEMENS NONVS

In Hoſpitio Sanctiſſimæ Trinitatis Pauperum lauat pedes.

Quò rapit immenſam Clementia Maieſtatem
Seruorum fœdos abluit vſque pedes!
Pondere non ſenij, ſed pondere curuus Amoris
CLEMENS corda feris? Aſtra Deumque feris.
Ima, & ſumma tenens, regis omnia, Numinis inſtar.
Sic datur in ſummo Culmine ſumma quies.

CLEMENTI IX.

Sordes pauperum pretioſæ.

CLEMENS pauentem quà regit Mundum manu,
Tartaraque & alta ſidera, & Cælum rotat:
Non delicatos floribus, non in roſa,
Sed inquinatos ſordibus pedes lauat.
Pauperis IESV in Paupere agnoſcit pedes;
Pauperis IESV in ſordibus Stellæ latent.
Hinc Numinis de ſordibus Raptor ſagax
Queis ſibi coronam texuit, ſtellas rapit.

AD IVLIVM ROSPIGLIOSIVM S.R.E. CARDINALEM

CLEMENTIS nomen in Pontificatu aſſumentem.

Humanum Tibi CLEMENTIS cur nomen adoptas,
  Cum Tibi diuinæ dantur, IVLE, vices?
Quàm pia nempe velis, diuinaque ſceptra tenere,
  Per tua confeſtim nomina ſumpta doces.
Cœtera facta ſuper Clementia Numinis exit,
  Regali Vatis carmine doctus ais.
Noſque decet mores effingere Numinis: omnes
  Non tamen hic ſumus, aut poſſumus eſſe pares.
Maiorum minor eſt, maior quoquè turba minorum:
  Romuleus toto præſtat in Orbe Parens.
Ergo Deum effingant, referantque minora minores;
  Terrigenum ſummum ſumma referre decet.

AD

Vectigal populo

In ipsa sui Pontificatus inauguratione tollentem.

Plauſibus in Cælum per Romula compita ferris.
  Et Tibi plaudentum iuge reſultat io;
Nec ſummis oritur vox intermortua labris;
  Altiùs ex imo viuida corde ſonat.
Nam, tua quàm ſubitò vectigal grande remiſit
  Seruatrix populi, ſeruaque dextra ſui;
Tam vectigalem populus Tibi pendit amorem:
  Et ſe ſe pretio ſubrogat ipſe ſuo.
Te ferat in Cælum popularis gloria, CLEMENS;
  Hæc tua ſed vera eſt gloria, fers populum.

CLEMENTIS IX.

Antiqua pietas.

Nil fuit in IVLO pietate vetuſtius: annos
  A cunis numerant IVLVS, & illa pares.
Moribus hinc ſemper comi comes iuit honeſtas,
  Protulit & caſtos Muſa pudica ſales.
Hoc ſapere, hoc verè miſcere eſt vtile dulci;
  Gaudia diuino ſpargere pura metu.
Quid? pietas IVLI IVLO eſt æquæua? vetuſtis
  Grandior à fidei Patribus illa venit.

CLE-

CLEMENS IX.

Ex operum magnitudine Pont. Max.

Quæ tibi cum ſuperis commercia tanta Potentum
Conciliant animos, Regnaque Summa parant?
Regia nam Petri, ſoliumque Tiaraque ſacri
Verticis, humani non labor ingenij eſt.
Mens tua ponderibus Terrarum nata regendis,
Ponderat humanæ grande ſalutis opus.
Haurit inexhauſtos Mundi pro pace labores:
Maxima CLEMENTI eſt cura beare alios.
Carcere pauper abit: veſtitur nudus: in omnes
Principis immenſas Regia pandit opes.
Clementi Deus huic operi ſociatur, opeſque,
Quas regerat Clemens, congerit ipſe Deus.
Rura tibi, Clemens, non Raſtra, ſed Aſtra laborant
Omnia fundit Ager, cui Deus Agricola eſt.

DE CLEMENTIS IX.

Laudatiſſimæ pietatis operibus.

In Noſocomijs, & turba paupere CLEMENS,
Quid pedibus lotis, quid dape lautus agat:
Oreque ſupplicibus, culpaſque fatentibus aure
Non ſolito exemplo ſæpè, palamque datis:
Quid recolens ſanctas inflexo poplite ſcalas,
Tam pius in ſuperos, tàm Pater in populos:
Ignarus ſi fortè rogas, Romane, vel hoſpes,
Huc ades, & paucis conſcius ipſe loquar.
Icta vides ſanctæ regalia fœdera pacis?
Prona in Clementem Regia corda vides?
Legatos alij mittunt ad Regna; ſed ipſos
Regnantes Clemens moribus hiſce trahit.

CLEMENS IX.

Regum Pacator.

Ardeat Orator, qui fœdera Pacis anhelat.
Pacis Amicus Amor, Pacis amore flagrat.
Igneus Orator CLEMENS, cœleſtibus armis
Extorques Regum fulmina de manibus.
Exarmas Reges; ſed Pacis amoribus armas.
Non regis imperij fulmine, Amore regis.

CLEMENTIS IX.

Iocus Armorum in ambigua voce ſapientiſſimus.

Arma vocabat Auus, quæ ſunt inſignia nobis:
Roma quoquè hæc latij vocibus arma vocat:
Turribus hinc Regum, & Diuum pendentia Templis
In Cælum tollunt arma ſuperba minas.
Non agit hoc Clemens. Agit omnia maxima,& armis
Omnibus amotis, omnia, inermis agit.
Non pompa Armorum Clementem in ſidera tollit.
Quo magis ignotus, Notior ille Deo eſt.
Non oculos ambit Populi, qui grande Theatrum,
Et ſpectatorem gaudet habere Deum.

CLE-

CLEMENS IX.

Alexandri VII. nomine, ingentia beneficia confert in Populos.

Quos ardens Heroas agit ſuper Aethera Virtus,
  Diuinis animis Gloria grande bonum eſt.
Diuidis in Populos ingentia munera CLEMENS:
  Hæc ſed Alexandri munera magna vocas,
Septimum Alexandrum titulis & honoribus auges.
  Immortale tibi cur decus ipſe negas?
Non ita: in Auctorem immortalia dona redibunt?
  In mare nata mari fluminis vnda redit,
Grandior imò redit. Niueis, fugitiue, Quadrigis,
  Maior Te, Clemens, Gloria perſequitur.

CLEMENS IX.

Pauperibus miniſtrat in menſa.

Suſtinet in terris perſonam Numinis: Orbis
  Arbiter & gemini ſceptra Tonantis habet.
Et ſua in ærumnas proclinat viſcera CLEMENS,
  Sponteque cum miſeris penè fit ipſe miſer.
Excipit ad menſam Princeps famularis egenos:
  Seque pius poſitas ingerit ante dapes.
Sic erat in terris ſimilis Deus ipſe miniſtro:
  Et ſuper aſtra ſuis ipſe miniſter erit.
Perſonam Patres huic impoſuere Tonantis?
  Ipſe ſibi aſſumpſit Numinis effigiem.

PARASTI IN DVLCEDINE TVA

Pauperi Deus.

AD CLEMENTEM IX.

Amore quanto Nuptias Agnus parat:
Epulantibuſque Cælitum tot Millibus
Diuinitatis ferculum in Menſa locat.
Diuinitatis enim ſuæ pulcherrimus
Miniſter Agnus eſt. Deo ſimillimus
Tantis Miniſtri Amoris apparatibus,
Argento, & auro, & poculis gemmantibus,
Qua ſupplicantem temperat Mundum manu
Quotidianos Pauperes CLEMENS alit.
Non ſemel in anno Paſtor: At quotidie
Bis ſex Miniſter Pauperes Clemens alit.
Pretioſum Egeni in ſordibus videt Deum
Oculatus ille. Non Deum Clemens alat?
Deo miniſtrat regia dapes Manu:
Deo propinat ignea in gemma Merum.
Deus hinc Vicarij Deo ſimillimi
Imitatur inſtar: Ora transformat frequens:
Probatque ſe Clementis in vultu Deus.
Mirantur Aſtra: clamat Aula Cælitum:
Deo miniſtrat alter in Terris Deus.

FA-

FACIET ILLOS DISCVMBERE,

Et tranſiens miniſtrabit illis. Lucæ 12.

AD CLEMENTEM IX.

CLEMENS Numinis Argus inuolutum
Aegro in Paupere Numen intueris.
Hinc electile quidquid eſt ciborum
Aegro in Paupere Numini miniſtras,
Morti proxima; mille ſtrata morbis,
Languet Turba cubilibus trecentis.
CLEMENTEM huc agit imperantis ardor
Caritatis, & omnibus miniſtrat:
Vni Numini in omnibus miniſtrat.
Quem IESVM videt, Huic fides miniſtrat.
Quem in Terra videt, Hunc eundem in Aſtris
Inter millia Cælitum videbit?
Et videbit, & audiet retectæ
Maieſtatis honore gratulantem.
Immenſa hæc Tibi præparata Menſa eſt.
Me Dapem ambroſiam, & Dapis Miniſtrum
Clemens accipe. Reddo, quod dediſti.

TY-

TYBRIS ARDENS

Siue

Pons Ælius ornatu CLEMENTIS IX. Salubrior.

Incendiſtis Equi Mundum Pyroeis, & Aethon.
Non culpa in Curru, ſed Phaetonte fuit,
Pons, Adriane, tuus flammantis ab ore Leonis,
Non Pons, ſed fornax ignea Pontis erat;
Ignibus inſanis ingentia ſaxa flagrabant:
Romanæ hinc Vrbi Lethifer annus erat.
Abſtulit hinc CLEMENS ardentia ſaxa, deditque
Clementis Zephyri, non Phaetontis iter.
Tunc caput è fluuio Heſperidum Regnator Aquarum
Extulit, & Romæ conſpiciendus ait.
Temperat immenſam Clemens, qui nutibus Orbem,
Has Regnatrices aſpicit Orbis Aquas?
Clementi pateo? Nunc ſum pulcherrimus Amnis.
Clementem video? Numinis ore fruor.
Me beat aſpectu. Tybris ardeo lætus in vndis,
Incendit noſtras flumen Amoris Aquas.
Vectus amore vola Clemens Auriga per orbem;
Non Phaetonte flagrat Mundus, Amore flagrat.

DE CLEMENTIS IX.

Munifica largitate.

Notus amor populi: Nemo non diligit aurum.
CLEMENTEM nemo non amat? aureus eſt.
Lydius hic lapis eſt; hìc Principis approbat aurum,
Dicere qui falſum neſcit, amor populi.
Vnde tamen Clemens eſt aureus? erogat aurum:
Magnificique Patris ſcrinia ſunt, populus.
Aurea dicatur, nummos quæ continet arca:
Aurum, qui Princeps non tenet, aureus eſt.

DE CLEMENTE IX.

Noſocomia inuiſente.

In Noſocomijs clementia Principis ægros
Dum viſit, vitæ parcit an ille ſuæ?
Fercula fert manibus, ſolatia vocibus addit;
Grataque languenti dulcia liba fami;
Nec ſatis; impenſum largitur egentibus aurum:
Sic medica ſtratos erigit ille manu.
O Melior ſanò morbus mihi corpore, quidam,
O ego cur non ſum languidus? alter ait.
O Pater, ò Princeps verè Optimus Vrbis, & Orbis,
Sub quo vel miſera viuere ſorte iuuat.

NO-

NOSOCOMIVM INSANABILIVM
in Vrbe
CLEMENTIS IX.
Deliciæ.

Vlcera, cancer edax, ignis Sacer, ignea peſtis,
  Lazare, Te miſeris impoſuere Ducem.
Inſanabilibus celebras hinc nomina morbis:
  Et quem fœdà vorant vlcera, Lazarus eſt.
O data non aliàs Romæ ſpectacula. CLEMENS
  Talia languentum in viſcera ſe penetrat.
Morborum Penetrale ſubit. Non putrida terrent
  Vlcera, non peſtes, non nece peior odor.
His ſua partitur Princeps bona: ſeque malorum
  Conſortem miſeris, participemque facit:
O Amor, ò Pietas! Huc vlcereplenus IESVS
  Te rapit ò Clemens, Vulneribuſque tenet.
Hic quoque ſe nobis largitus, Amoribus ardens
  Crimina noſtra tulit, vulnera noſtra tulit!
Vlcera non tangis, non vulnera: tangis IESVM:
  Vulneraque in Domini Corpore Sidera ſunt.
Cum referet Mundo Iudex ſpectacula; Clemens
  Vlcere plenus erit? Sidere plenus erit.

CLEMENTI IX.

In Noſocomio Lateranenſi Miniſtranti ad Menſam.

Atria morborum, funeſtaque Regia Mortis
Peſtifero Aegrorum claudit odore fores.
Ite procul, quibus vna ſalus, eſt nobile Regnum:
Mortis ab horrendæ faucibus ite procul.
Te tamen has, CLEMENS, Clemētia ducit in Aedes:
Paſtor & hic ægras optime paſcis oues.
Omnibus his Rectrix Mundi tua Dextera Menſas
Gemmeaque ingeminat pocula Pauperibus.
Vt Serues ouium, Paſtor ter magne ſalutem:
Propria Paſtoris cur tibi nulla ſalus?
Quæ terrent alios non Te contagia terrent?
Tu regale Caput, cur Tibi vile Caput?
Aſpicis in miſeris Clemens oculatus IESVM:
Præſtas inde Deo grande Miniſterium.
Debilis eſt Alijs Acies. In vilibus Aegris
Non cuicumque datum eſt cernere poſſe Deum.

AD CLEMENTEM IX.

Pallentes procul hinc abite morbi,
Cum Phthiſi, vomiciſque, febribuſque
Maturate fugam in profundiora,
Auerni loca, patriamque Mortis.
Vitam de Solio Beatitatis
In gurguſtia morbida indigentum
CLEMENS Maximus auream reducit.
Caritatis ab igne, mortuorum
Membra in frigida Spiritum reducit.
Inſtar nam Patris, atque Matris inſtar
Super pectora languida, affluentis
Laxat vbera plena Caritatis.
Nectare, Ambroſiaque, dulcibuſque
Extinctam reuocat cibis ſalutem.
Auro Pauperiem fugat: benigna
Singulos beat allocutione.
Conſolator vt omnium vnus eſſes
Conſolatio es ipſa, Magne Clemens.
Conſolatus es omnium querelas?
Conſolatus es omnium dolores?
Conſolatio es omnium. Hoſpitalis
Nomen hoc Tibi conſecrauit Aedes?
Exclamat Tibi Roma. Magne Clemens
Vnum hoc tibi Nomen Vniuerſi
Conſolatio nominaris Orbis.

CLE-

CLEMENS IX. P. O. M.

Mortale qui genus ſui
Redemit auro Sanguinis,
Homo Virgo, natus VIRGINE,
Veruſque de DEO DEVS:
Hic Pontifex eſt Maximus.
CLEMENS Huic Vicarius,
Diuini, & auro ſanguinis,
Aurique riuis, Omnium
Populos beat Mortalium:
Bis Pontifex eſt Maximus.
A ſe, ſuiſque quàm procul
Auri omne lucrum exterminat?
Ter Pontifex eſt Maximus.
Sit ille Sacrorum Parens,
Sit ille Princeps Principum,
Sit ille Cæſar Cæſarum:
Pecuniam qui maximam
Repudiat. Hic eſt Maximus.

AD IACOBVM

CARD. ROSPIGLIOSIVM.

Vnus es, ò Princeps, Populorum Amor, Vrbis Imago
Aeternæ, cuius nomine regnat Amor.
Nam Te Hiſpanus amat, Te Gallus, & aduena Rheni
Et quiſquis Tiberim potat, & Oceanum.
Mirarer; ſed Tu Populos virtutibus æquas,
Eſt vbi par Virtus, par Populis Amor eſt.

Soſpes in Vrbem reditus.

Soluite vota Deo populi, Proceresque ſalutem
Qui Romæ inſtaurat, ſoluite vota Deo.
CLEMENS, certa ſalus. Magni Clementis Alumnus
Expectata Nepos Dextra ſalutis ades.
Pro Vaticano rapis in diſcrimina vitam
Impiger, vt mundi Patria ſalua foret.
Ne ſol occideres nobis, Ardentia mundi
Supplicis audiuit vota preceſque Deus.
Vnica mens vaſti Rectrix Clementia mundi eſt:
Huic erit adiutrix Dextera fida Nepos.
Mens Dextræ Rectrix, Adiutrix Dextera menti eſt.
Altera ab alterius robore robur habet.
Principum ab ingenio redierunt ſæcula in aurum,
Aurea mens populos, aurea dextra beant.
Viuit vterque Deo ſimilis. Quot ſæcula viuent!
Viuit vterque Deo? Viuat vterque Deum.

IACOBVS CARD. ROSPIGLIOSIVS *Romam veniens*

Omnes ſumma humanitate excipit.

Implent iam Romam generoſæ gaudia mentis,
Et redit Aduentu Gratia læta Tuo:
Gemmas, non voces promit Tua lingua, IACOBE,
Purpuraque æternas parturit vſque Roſas.
Sic veteres faſces, dominaſque exoſa ſecures,
Gemmas, aut flores non niſi Roma dabit.

I A-

IACOBVS CARD. ROSPIGLIOSIVS

Summè Beneficus.

Si magnete trahit ferrum Natura ſuperbum,
Auro etiam Princeps ferrea corda trahit.
Gignit auara odium Maieſtas, perdit amorem.
Dum fulget donis, frænat Amor populos.
Libera ſic didicit te Principe Roma Catenam,
Corda catenauit munere plena Manus.

IACOBI CARD. ROSPIGLIOSII

Summa modeſtia, & prudentia.

Nil prodeſt tacitæ ſacrata modeſtia linguæ;
Pro verbis reſonant grandia facta Tuis.
Terrarum regimen, prudentia rebus agendis,
Conſiliumque ingens optima lingua Tibi eſt.
Hanc Nos audimus, ſequiturque hanc vndiqueFama,
Verba tacent; nunquam ſed benefacta tacent.

CAMILLI ROSPIGLIOSII

Comitatus.

Quocumque pergit, mille, qui rogant ſtipem,
Trahit CAMILLVS Pauperes. Chriſtum trahit.

AD CAMILLVM ROSPIGLIOSIVM

Caritas deprehenſa.

Fugis CAMILLE, Gloriam? fruſtra fugis.
Latere vis? latere non vult caritas.
Amas tenebras? Sole ſed flagrans ſuo,
Tenebris ſepulta caritas ſplendet magis.
Peregrine ſol quid nube ſub vili lates?
Oculis Amantum nulla te nubes rapit,
Deprehenſus in latente Spoleti Domo,
Nulli latebas, ſed patebas omnibus.
Camilliana maior Orbe caritas
Collo è Camilli pendulum mundum fouet;
Camillus Orbe', quem fouet, non maior eſt?
Latere Magnitudo tanta non poteſt.
Nullos Camilli Caritas fines habet;
Maris hoc Profundum littore, & fundo caret.

CAMILLVS ROSPIGLIOSIVS

In Hoſpitio Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinis detecto ſemper capite miniſtrat.

Mille Peregrinis epulum regale miniſtras:
  Mille Peregrinos Numinis ora putas
Vertice nudato Venerator Numen adoras.
  Omnia nuda Deo. Nudus es ante Deum.
Sed Deus irradiat Caput hoc illuſtre CAMILLI;
  Sole Deo radians non amat vmbra Caput.

CA-

CAMILLVS ROSPIGLIOSIVS
CLEMENTIS IX.
Germanus Frater.

Poſt incendia, carceremque Romæ,
Poſt Romam Capitoli in Arce clauſam:
Romam carcerè ſoluit, & ſepultae
Romae moenia condidit Camillus.
Alter Romulus Hic fuit Camillus.
Roma moenibus, atque moribus ſtat.
Propugnacula ſunt in Vrbe mores.
Septem ò ſideribus propinquiores
Romanum Imperium intonate colles.
Murorum ſine turribus minantum
Morum conditor en redit CAMILLVS,
Cui Clementia, liberalitaſque
Maiorum præeunte more Auorum,
Romanam pietate condit Vrbem.
Non quaerit ſua: ſed ſibi, ſuiſque
Immortalia Regna, & Aſtra quaerit.
Quae ſtipendia ſancta Dux meretur.
Patrimonia pauperum arbitratur,
Aequi munere Diuites honorat:
Numen in quibus aſpicit: Camillus
Prono vertice, Pauperes adorat.
Hinc honoribus auget: Hinc benigno
Numen lumine reſpicit Camillum.
Hinc es altera Roma, moribuſque
Mores exprimis aureos Camilli.
Nouos non habet alta Roma Muros
Sed nouos habet alta Roma Mores.

CA-

Fabrica.

Per Molimina Caritatis, auream
CAMILLO fabricante Amoris Arcem,
Caelum fabrica tangit. A Supremo
Caeli culmine non aberrat hilum.
Omnes vndique namque amant Camillum.
Cur amatur ab Omnibus Camillus?
Amat, ceu Pater, Hic Camillus omnes.
Nec verbis tumidis, inanibuſque:
Factis ſe probat omnium Parentem.
Huic ſunt Pignora quinque, fabricantem
Quae Heroum Manibuſque, Moribuſque
Caeleſti in fabrica iuuant Camillum.
Nati ſunt ſimiles Parentis omnes,
Omnes munifica Benignitate,
Cultu Numinis amplo, Honore Diuum,
Regum Pectore, Celſitate Mentis
Nati ſunt ſimiles Parentis omnes.
Roma ſuſpicis vnicum Camillum?
Recte diſpice. Praeter Hunc Camillum
Recte diſpice) quinque ſunt Camilli.
Natorum manibuſque, moribuſque
Ad faſtigia ſiderum Camillus
Per molimina Caritatis, Arcem
Fabricat bene? Sempiternitatis
CLEMENTEM faber audit Architectum.

VIN-

VINCENTIVS ROSPIGLIOSIVS

Armorum ſcientia, & exercitatione præſtans.

Seu libet iratæ, placidæ ſeu Palladis arma
  Quærere, virtutis ſunt monumenta tuæ.
Eſt Tibi VINCENTI generoſi pectoris Ardor,
  Sunt etiam ingenij nobilioris opes.
Dat pacem Pallas pacata, irata ſalutem,
  Sic terret per te Roma, placetque ſimul.

VINCENTII ROSPIGLIOSII

Expeditio in Turcas

Omen ex Aethna.

Italiam atque Orbem flammis quæ terruit olim,
  Per te iucundas extulit Aethna faces.
Quin etiam è Curru veluti captiua per Vrbem
  Terrifico emiſit dulcia dona ſinu.
Auguror: infeſti Martis fera bella tonabunt;
  Te Duce, VINCENTI, Bella Triumphus erunt.

FELIX ROSPIGLIOSIVS.

Conſilio inſignis.

Vtere mente tua, ò FELIX, ac deſpice Vires;
 Arbitra mens rerum eſt, quo magis illa ſapit.
Sic Tellus quoque dicetur te ſoſpite Felix;
 Conſilio regnat mens operoſa tuo.
Conſilijs etenim regitur, non viribus Orbis;
 Eſt fortuna potens, mens vbi docta viget.

FELICIS ROSPIGLIOSII

Amor Sapientiæ:

Ducere felicem nouit Sapientia Vitam.
 Felix, & Sapiens nomina ſunt eadem.
Solus amor Veri, FELIX, ſapientia cordi
 Sola Tibi eſt; meritò nomen & inde trahis
Diſcimus hinc noſtræ documenta, & nomina ſortis:
 Quem Nos Felicem dicimus; ille ſapit.

AD THOMAM ROSPIGLIOSIVM.

Doctrinæ præſtantia

Cum ſumma animi moderatione.

Doctrina & Virtus vna ſub mente morari
 Optabant; mentem hæc ſumpſit & illa Tuam.
Hinc Tibi & Ingenij vis, & moderatio ſumma eſt.
 Non habet illa modum, ponit at iſta modum.
Aula nouum exemplum mirabitur. Omnia poſſe,
 Et tamen ingenio ponere velle modum.

Beati qui non viderunt, & crediderunt.

A D
THOMAM ROSPIGLIOSIVM.

In languidis Egentibus THOMAS Deo
Miniſtrat ardens : nec tamen videt Deum.
Credit : miniſtrat : aureis nummis beat.
DEVS hunc beatum prædicat. Credat DEO.
Omnia futura, ſunt Deo præſentia.
Beatus ergo non erit Thomas : ſed eſt.

IOANNIS BAPTISTÆ ROSPIGLIOSII
Prudentia.

Eximios Iuuenes decorat Prudentia mentis,
 Ver atquè Autumnum docta Iuuenta parit.
Sic Te miramur, vitæ qui prima coronas
 Tempora maturi pondere iudicij,
Indole ſi tanta fulget lanuginis vmbra,
 Immenſum gignet cana ſenecta diem.

AD IO. BAPTISTAM ROSPIGLIOSIVM.

Camporum, nemorumq; potens, domitorq; ferarum,
 Purius alpina qui niue pectus habes :
Moribus ingenuis Animos venaris, & idem
 Multiplici inſontes decipis arte feras.
Moribus ingenuis, IOANNES, Raptor Olympi es :
 A Te Cælicolum Regia vim patitur.
Et rapis, & raperis. Nimium Venatio felix :
 Seu, Tu, Præda Deo es : ſeu Tibi Præda Deus.

Cum verò in latere huius aulæ intrantibus dextero Eminentiſſimi Cardinales, & Excellentiſſimi Roſpiglióſij Principes conſediſſent, ad illos hanc vnus è Patribus orationem habuit.

IN hoc Gregoriano Lyceo, quò Nationes prope omnes bonarum artium ſtudio confluunt, Vobis excipiendis: Eminentiſſimi, & Excellentiſſimi Principes, in occurſum Romam aduocauimus vniuerſam, Orbis compendium, eamque non præſentis temporis anguſtijs concluſam, ſed à primis annis per conſequentium ſæculorum volumina explicatam. Vobis enim gentium acclamationes, plauſumque ſæculorum debemus; cum virtutum eximia decora, quæ mundi Ciues, atque ætates in vna ſuſpiciunt Roma, eadem in vna Dominatrice ROSPIGLIOSIA Familia collecta Roma veneretur. Quod citra omnem ſplendidi mendacij ſuſpicionem dictum à me parietes iſti teſtantur, vnde Senatus ampliſſimus Romanæ antiquitatis, quà profanæ, quà Sacræ, ſuæ virtutis honeſtamenta inſita Vobis, aut ſimilia, aut excelſiora gratulatur. Illa dum palàm oculis luſtranda in Heroum imaginibus exhibemus, nec minora præcipuarum nationum linguis mox intra domeſticos lares prædicanda paramus, mihi ab omni laudum genere temperandum intelligo, ne vſurpem aliena. Et quidem vel inuitum temperare cogit ille ſeueræ mo-

deſtiæ,

deſtiæ, & ingenuæ verecundiæ fulgor, quò me perſtringitis intuentem. Vnum prætorire non ſinit hæc celebritas, & ardor ſociorum, qui me huc impulerunt, vt nimirùm præſentis beneficij magnitudinem, quod in nos veſtro aduentu humaniſſimè contuliſtis, communi Collegij voto agendo gratias exponam. Fontem altius repeto, quo tanta in nos benignitas latius effluat.

Excelſa indoles Roſpiglioſiæ familiæ beneficentiæ laude ſemper floruit. Memini me in Vrbe Etruriæ nobiliſſima admirabundas audire viri ſapientioris voces exclamantis: Proh regiam planè Roſpiglioſiæ gentis munificentiam! IVLIVS, quem ſanctiſſimè nunc adoramus, Pontificius olim Orator in Hiſpaniam aurum, & gemmas comportauit, & cum ſibi nihil inde niſi famam, & gloriam comparaſſet, diuitiarum incrementa ſimulauit, vt ad nos redux Italiam donis ampliſſimis cumularet. Iam vero ad ſolium ſupremi Regnatoris euectus, diſperſis cum ſole manibus caritate plenis omnium populorum animos, atque ora in ſui amorem, & effuſiſſimas acclamationes conuertit, hoc etiam nomine CLEMENTEM verè Beatiſſimum prædicantium, quòd magis dare, quàm accipere, imò vnicè dare, non accipere glorietur; cum ſua omnia conſilia, & vires ad alios beandos dirigat, ſe neglecto, & ſuorum vel in conſpectu penè oblitus.

Vaticano Soli Vos cognata ſidera quàm bene animorum ſimilitudine magis, quàm vultuum, veſtra ſcilicet, non aliena luce reſpondetis. Ex iſto Eminentiſſimo culmine, Purpurate Princeps, vnde molem gratiarum verſas, eaſque diſpenſas in ſubiectum or-

bem; quàm propè ſanctiſſimi Patrui famam tuæ beneficentiæ ſplendor inſequitur. Qui, non ſicuti regiæ potentiæ miniſtri ſolent, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum, vt morum ille magiſter notat, ſed libenti, ac prompto animo, fronte placida, & hilari, atque omni beneuolentiæ ſignificatione, qua ſint acceptiora munera, adornas. Quique vel cum purpuræ prælucebas ad regale faſtigium vocatus, in arduo illo, ac inter morbi ſollicitudines difficillimo itinere CLEMENTIS gloriam tecum latè circumferens, eo curas maximè intendiſti, vt apud proximos hoſtes Romani Principatus, & fidei, Romam ab omni auaritiæ infamia vindicares, ingentem auri vim profundendo.

Tu quoque Beatiſſimo Germano Fratri natura, & corde coniunctiſſime CAMILLE, qua circum poſitas vrbes tuæ liberaliſſimæ indolis fama compleueras, iam ex illo, cui aſtas proximo Diuinitati ſolio, omnium regnorum, ac gentium animos occupaſti; illud è prudentioribus non paucis maximè admirantibus; quòd cum multis magniſque muneribus egeſtati, atque ignominiæ plurimorum tacitè occurras, multi à te neſciant ſe accepiſſe, abundè enim tibi eſſe intelligis, dediſſe Te, & Deum ſcire.

Audiuerat Roma, nec facilè credere viſa eſt, quod è Piſtorienſibus montibus repercuſſis ad nos vocibus ſæpiùs ingeminauerant ſepteni colles, Te vniuerſa cum hac ſobole, cuius plura quidem Excellentiſſima Nomina, ſed ſanguine, amore, ac moribus cor vnum Tecum eſt, & mens eadem; audiuerat, inquam, Regnatricis Domus felicitatem in eo Vos maximè collocaſſe, quòd parem aperiret beneficentiſſimæ

volun-

voluntati campum, quò ſe effunderet, Eccleſiæ vniuerſitatem; at cum dictis fides oculorum acceſſit; & Vos propria poſthabentes, ad aliena commoda ex illa ſublimi ſpecula inuigilantes Roma ſuſpexit, quæ noua gaudia ſit experta, quàm inuſitatas voces gratulantium, atque altiſſimè plaudentium fuderit, noſtis ipſi, quorum ex oculis lacrymas non ſemel elicuit inſuetus hic amor, & veneratio tanta populorum; ac tanta quidem, vt inauditæ hactenus obtrectationis genus paſſim reſonet dolentium, quòd parcè nimis, & arctè CLEMENTISSIMVS PATRVVS ſuæ benignitate manus in Vos vtatur, quā vel ad abiectiſſimos quoſque explicatam, apertamq; ſemper habet.

Nos verò quid præſtare, quas edere geſtientium animorum ſignificationes in communi lætitia par fuerit? Quos eximia ſemper beneuolentia complexi, beneficijs tàm ſolidis, tàm frequentibus deuinxiſtis, vt ROSPIGLIOSIAM Domum erga Societatem noſtram fungi parentis officijs ad inuidiam veriſſimè circumferatur? Quibus CLEMENTIS benignitas in ipſo excelſiſſimæ Dignitatis exortu tàm ſplendidè affulſit, vt quos ritus in ampliorem cultum Beatiſſimi Fundatoris tandiù Societas votis omnibus exoptauerat, eos mira celeritate ſponte decreuerit, quod maximum amoris pondus habet, additis etiam Regij Sacelli pretioſiſſimis opificijs; aliaque plurima nec rogatus præbuerit argumenta dulciſſima ſuæ in nos voluntatis, omni detracta beneficijs pompa, cum, vt conſueuit, nouo aulicis ritu, non inanem modò iactationem, ſed actionem quoque debitam gratiarum, ſed commemorandi occaſiones declinet.

Hæc

Hæc & innumera Veſtræ in nos beneuolentiæ monumenta, quæ præſentis honoris ingenti dignatione noſtris animis obieciſtis, ſtupore, gaudio, amoris æſtuatione corda ſic obruunt, vt ora ſilentio damnent, ad mutas reuocando parietum voces, & quodammodo cogant eſſe ingratos deſperatione beneficia verbis, aut officijs exæquandi. Supereſt vna omnium grati animi voluntas, quæ ſemper emicabit in vultu, & memoria nullà vnquam obliuione delenda, quam religioſiſſimè vouemus.

LAVS DEO.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſt. Ord. Præd.

ROMAE,

TYPIS ANGELI BERNABO'.

M. DC. LXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Q. Tab. IV. n. 34.

Digitized by Google